TRACTATIO
DE
QUIBUSDAM NOTABILIORIBUS
OBJECTIS
AD
ARTEM OBSTETRICANDI
SPECTANTIBUS,
TYRONUM USUI
DESTINATA

AUTHORE

CHRIST. IAC. THEOPH. DE MEZA jun.

MEDICINAE DOCTORE, PRACTICO ET OBSTETRICANTE
HAFNIENSI, NEC NON REGIAE SOCIETAT. MED.
HAFNIENS. MEMBRO.



HAFNIAE,
APUD CHRISTIAN GOTTLOB PROFT,
Bibliopolam universitatis 1783.

Les ſciences ſont un champ immenſe, et maheureuſement pour nous, nos eſprits ſont bornées.

Des Houvillere.

Praeceptori

ſumme venerando

Domino

MATHIAE

SAXTORPH

Med. Doct. et Profeſſori in arte obſtetricandi

pro

doctrina theoretico-practica

Nec non

Domino

KAREN ORLÖW

Aulic. et prim. obſtetric.

IN

Noſodóchio regio puerperarum,

quod Hafniae extat,

pro inſtructione

ad exercitium manuale

ut


levioris gratitudinis

pignus

hascé pagellas

D. D. D.

Author.



Praefamen.

Opusculum, quod artis peritorum indagini severiori subjicitur, fructus est doctrinae et experientiae in Nosodochio parturientium acquisitae; quas simul me debere praeceptoribus supra dictis quam maxime venerandis gratus recordor.

Omnium scientiarum theoria ac praxis adeo arcte inter se junguntur, utqui felix vult esse practicus, nullo modo carere poterit theoria; quae equidem regulas et leges sancit seu fundamenta ponit, ut liceat in praxe-

os

os viis lubricis insistere aut ingredi sine casu aut prolapsione.

Ea de causa meum esse puto in hoc opusculo, quantum potero, pro virili et pro modulo experientiae, theoriam cum praxi copulare, Lectores vero videant, quousque scopum attigerim. Meminisse tamen oportet ratione quorundam vitiorum, quae forsan in hisce occurrunt pagellis, totum hoc opusculum primo destinatum fuisse dissertationi inaugurali; cum vero variis de causis promotionem meam diutius prorogare haud licuerit, quousque haec tractatio ad finem diduceretur, praesertim dum dissertationem publice defensam actui ad XXIX. Aprilis 1783. celebrato, paratam haberem, me haud reum puto fieri impudentiae, dum publici juris faciam paucis exceptis, eodem ordine, eodemque stylo, quo actui inaugurali elaboratum fuerat.

Mo-

Monendum quoque eſt, bona, quae lectoribus apparebunt hic, majori ex parte me debere ſuavibus ac vere paternis *Saxtorphii* amicitiam Orlöwianis inſtitutionibus, ſperoque ergo faveant, indulgeant caeteris minus aptis minusve doctis hic occurrentibus.

Lima criticorum cenſoria non modo grata jucundaque erit, ſed animum addet, ſi unquam author iterum in ſcenam producat, quo conſtet, me docilem fore in vitiis corrigendis emendandisque. Hafn. 15. Jun. 1783.



Elenchus contentorum.

Caput I.

Cap. II.

4. Mu

Caput III.

Caput IV.

Caput V.

Ca-

Caput VI.





Caput I.

De pelui.

§. 1.



Spatium (*a*) ex variis oſſibus conſtans, diuerſis in locis majorem modo, modo vero minorem denſitatem atque duritiem habens, variisque modis figuratum ad veſicam urinariam uterumque cum pertinentibus continendum deſtinatum, pelvis dicitur, praeterea inter tres ſic dictas cavitates corporis humani, inferiorem conſtituit, variisque muſculis, ligamentis et cartilaginibus partim eandem claudentibus, partimque connectentibus

(*a*) Notum eſt, vt plurimum pro *ſpatio* ab authoribus *cavitatem* dici, ſi de pelvi loquuntur, mihi vero minus apta videtur haec denominatio, quia ad cavitatem effingendam fundus requiritur, qui in pelvi non adeſt, adeoque a nonnullis haud inepte cum vaſe barbitonſoris, quod fundo caret, comparatur.

bus gaudet in ſtatu naturali, partesque duriores (*b*) per quas foetus in partu tranſire debet, effingit.

§. 2.

Conſtat ex partibus duris ac mollibus, haec autem nullam inducendo partus difficultatem alienae a noſtro ſunt propoſito; illae vero ſunt duo oſſa ſic dicta *innominata*, ultima *lumborum vertebra* (*c*) os *ſacrum* et *coccygis.*

§. 3.

Oſſa innominata, etſi unum ſolummodo videntur formare os, tamen ob manifeſtam diviſionem in juniore aetate, dividuntur ab anatomicis in tres partes, quarum nomina ſunt *os ilion*, *iſchion* et *pubis.*

§. 4.

Oſſium innominatorum pars maxima lateralis et ſuperior conſtituit os ileum, corpore, margine duabusque ſuperficiebus conſtans.

1) *Corpus* eſt ejus pars inferior, qua cum caeteris oſſibus ſcil. ſurſum et antrorſum cum oſſe

(*b*) Partes ad partum inſervientes ſunt vel durae vel molles, ad illas pertinet pelvis ſtricte dicta, ad has referuntur uterus et vagina.

(*c*) Mirum forſan videbitur ultimam vertebram inter oſſa pelvim conſtituentia recenſeri, ſed conſiderando quantum commodi gravidis, quantam utilitatem parturientibus haec affert vertebra, apparebit non inepte feciſſe authores, qui eam inter pelvis oſſium numerant.

osse pubis, deorsum et extrorsum cum osse ischio jungitur.

2) *Margo* est pars ossis ilei prominens, semilunaris, quae in adultis inaequalis et ossea est, in infantibus vero cartilaginosa et pro apophisi habetur. Haec margo sive crista ossis ilei labia habet duo scil. externum et internum duasque *partes* anteriorem scil et posteriorem. Per *labia* nihil aliud volumus quam inaequalitatem ejus externam et internam musculorum insertioni inservientem, interque haec insurgit pars prominens, *spina muscularis* dicta.

Pars anterior cristae ossis ilei duas habet protuberantias, quarum una est *spina anterior superior*, altera vero *spina anterior inferior*. utraque est productio muscularis. *Pars posterior* vero tuberositatem habet, portioque totius marginis ossis ilei est crassior.

3) *Superficies externa* est inaequalis, sic vt nonnullis in locis eminentiae, in aliis vero cavitates vel fossae adsint, in ejus parte media invenitur *linea*, quae vocatur *linea semilunaris externa ossis ilei.*

4) *Superficies interna* magis aequalis et glabra apparet, estque etiam magis concava, habetque haud secus quam externa lineam semilunarem, quae *interna* dicitur, superque marginem asperam ossis pubis pergit et separat majorem a minore pelvi.

§. 5.

Os ischion pars est inferior lateralis ossium innominatorum unci ad instar formata, in tresque partes divisa, in superiorem nempe, *corpus* dictum, in inferiorem, quae *tuberositas* audit, demumque partem inde productam ascendentem, quae et ideo *ramus* vocatur *ascendens*.

1.) in *corpore* ossis praecipue habetur acetabulum seu cavitas, quae caput ossis foemoris excipit, hoc etiam dici potest *ramus posterior* sive *descendens*.

2.) *Tuberositas* inservit ad horum ligamentorum insertionem, quae figuram aperturae pelvis inferioris constituunt.

3.) *Ramus ascendens* incipit a tuberositate, indeque versus descendentem ossis pubis ramum tendit, habetque duos margines, superiorem scil. qui magnam foraminis ovalis partem constituit (*d*) et inferiorem, quae inaequalis valde est et in sexu sequiori magis oblique quam in nobiliori ascendit, adeoque magis distant ab invicem, et tali modo multum contribuit ad faciliorem capitis infantis exitum in partu.

Usus ossis ischii est formare acetabulum et foramen ovale, nec non ad genitalium exter-

norum

(*d*) Interdum caput ossis foemoris ex acetabulo truditur et per foramen ovale in pelvis protuberat cavitate, ansamque dat partui difficili, qui non nisi capite foemoris in naturali situ reposito, absolvi potest.

norum commodum, variorumque musculorum insertionem inservire.

§. 6.

Os pubis est pars media anterior et minor ossium innominatorum, jacetque super ossis ischii ramos. Dividitur in corpus; ramum superiorem seu horizontalem, et ramum inferiorem sive descendentem.

1.) *Corpus* ossis pars crassior, versus acetabulum spectat, clauditque ejus partem mediam et internam.

2.) *Ramus superior* marginem habet superiorem et inferiorem.

a) *Superior* est longus, lineam prominentem acutam habens, quae *crista* ossis pubis nominatur. Initium capit a linea semicirculari interna ossis ilei, inseriturque juxta spinam sive tuberculum ossis pubis. Separat cavitatem pelvis ab ejus fundo.

b) *Margo inferior* rami superioris ossis pubis est admodum parvus, constituit vero partem foraminis ovalis superiorem et sulcum, per quem vasa obturatoria tendunt.

3.) *Ramus descendens* cum ramo horizontali rursum unitur, formantque simul angulum, quod dicitur angulum ossis pubis. Superficiem habet anteriorem et posteriorem, marginem internam et externam.

a) Quoad *superficies* nihil notabile in eis considerandum venit, nisi quod vesica urinaria posteriorem versus locetur.

 b) *Mar-*

b) *Margo externa* eſt acuta et inaequalis et latus internum foraminis ovalis conſtituit.

c) *Interna* vero laevis dividitur in partem ſuperiorem et inferiorem. *Haec* làta eſt, hocque in loco connectuntur oſſa pubis per ſynchondroſin (*e*) *illa* vero tenuior et inaequalis eſt, et evaneſcit in margine inferiori rami aſcendentis oſſis iſchii, ſimulque formant arcum oſſis pubis.

§. 7.

Ultima lumborum vertebra eſt primum oſſium pelvim retrorſum conſtituentium, protuberantiam habet rotundam, cuique formando pars ſuperior oſſis ſacri etiam juvat, quod et *promontorium* oſſis ſacri dicitur.

a) In graviditate, utero dat gravido ſitum juſtum, impeditque ejus adcenſionem perpendiculariter, dirigitque verſus marginem oſſis pubis gravidaeque umbilicum (*f*).

b) In partu etiam ad juſtum capitis in ſuperiori pelvis apertura ſitum quam maxime contribuit; agente vero utero ita circumagitur fluitans in liquore amnii caput infantis, ut

(*e*) Synchondroſeos ſubſtantia non mere eſt cartilaginea ſed etiam ligamentoſa.

(*f*) Talis directio fit in tertio graviditatis menſe, quo tempore uteri ſuperficies poſterior, partim ob copioſorum humorum affluxum, partimque ob auctum embryonis volumen, rotundam acquirit figuram magisque diſtenditur, capacitatemque ſic pelvis ſuperando aſcendere cogitur.

ut glabra frons ossis sacri promontorium tangens ad latus dilabatur. (g)

§. 8.

Os sacrum figura gaudet triangulari paulisperque curvata, glabram habet superficiem internam, quae pelvis cavitatem spectat. Ejus latitudo sensim a parte sima, ubi maxima est, ad apicem usque imminuitur ita, ut major ejus latitudo quatuor superet pollices, minor vero vix dimidium pollicem, variis donatum est foraminibus, per quae tendunt vasa sanguifera et nervi; profunditas in parte ejus media maxima est, quo loco usque ad os coccygis ejus curvatura dimidium format circulum. *Os coccygis* ultimum constituit pelvis os, apprimeque convenit cum osse sacro ratione figurae, quoad magnitudinem enim hoc illo majus est, constat ex tribus quatuorve ossiculis minoribus, quae admodum elasticis cartilaginibus rarissime ad ossium duritiem pervenientibus inter se connectuntur. (h)

(g) Tali modo longitudinalis diameter capitis (inter frontem scil. et occiput) ad maximum diametrum scil. obliquum, dextrum seu sinistrum pelvis aptatur.

(h) Horum ossiculorum anchylosis incommoda non inter adiaphora numeranda in partu inducit, nam in statu horum naturali a transeunte per inferiorem pelvis aperturam capite, retrorsum premitur os coccygis, indeque (1) majus spatium hujus aper-

Conjunctio ossium pelvis.

§. 9.

Omnia haec usque breviter descripta ossa variis modis junguntur inter se, per synchondrosim scil. syndesmosim, sisarcosim et veram ossificationem.

1) Conjunctio ossium pubis fit per cartilaginem sui generis, firma enim est duabus constans lamellis (*i*) sic ut lamella altera uni ossis pubis lateri, altera alteri adhaereat lateri. Fibrae hujus cartilaginis in ipsa ossis substantia evanescunt. Lamellarum altera est concava, altera convexa, anterior est lata posterior vero, quae pelvis cavitatem spectat, angustior, pars superior latioris lamellae majorem habet latitudinem quam inferior. Dantur praeterea aliae fibrae ligamentosae, quae circa juncturam capsulae formant vaginalis speciem. Tendines quoque musculorum abdominalium, qui

aperturae faciliorem capitis exitum praebet. (2) elasticitate qua in caput egrediens reagit laesioni obstat perinaei. Caeteris enim paribus ossis coccygis est officium, caput sub arcu infra pubem dirigere, aliter enim capitis directio fiet perinaeum versus. Damnandae ergo sunt obstetrices, quae variis artificibus digitorum ope retropremendo os coccigis, faciliorem credunt inducere partum, nescientes quod sic agendo facile a sede haec ossicula recedi posse, posteaque immobilia reddi.

(*i*) Olim credebatur unam dari tantum lamellam, qua conjunctio horum ossium perficiebatur, sed anatomici hodierni, sole meridiano clarius contrarium ostendunt.

qui decuſſatim hic detinunt, multum ad connexionis robur efficiunt (*k*) fabricae atque figurae hujus cartilaginis accurata cognitio neceſſaria eſt obſtetricantibus et chirurgis nempe ubi celebranda venit operatio a *Sigault* inventa, ſectioque ſymphiſeos oſſium pubis dicta, ſcil. quando diameter parvus ſuperioris aperturae pelvis tam anguſtus eſt, quod caput foetus non niſi mortis periculo ſi unquam ſponte tranſire poſſit. (*l*)

2) Caeterae oſſium innominatorum partes vera inter ſe connectuntur oſſificatione.

3) Oſſa innominata cum ſacro laminae ſemilunaris ope junguntur, antrorſum tegitur os ſacrum cartilagine, retrorſum vero eminentiae et cavitates reciproce ſeſe recipi-

(*k*) A nonnullis recentioribus etiam creditur motum dari perceptibilem inter haec oſſa, ſive articulationem manifeſtam, ſed nondum ſatis confirmata habetur haec opinio, dum enim conſideramus fortem atque mirabilem hujus cartilaginis fabricam, facile patebit hunc motum vel imaginarium prorſus vel vix ne vix ſenſibilem eſſe.

(*l*) Teſte cel. *Saxtorphii* amicique *Winslowii* experientia rariſſime ſi unquam oſſeam duritiem acquirit haec cartilago; quod ſi adſunt nonnulli, qui ſemper talem putant invenire oſſificationem, minus accuratae cartilaginis fabricae cognitioni, hic adſcribendus error, nam ſi lineis aliquot a media cartilagenis parte culter applicatur anatomicus, in ipſam oſſis pubis ſubſtantiam facile dilabitur, indeque creditur cartilaginem, indolem acquiſiviſſe oſſeam.

unt recipiunturque. Hoc locum ſynchondroſis ſacra iliaca vocatur. (*m*)

4) Ultima vertebra lumborum cum oſſe ſacro jungitur per ſynchondroſim. Adſunt preterea *ſuperficies articulatoria*, apophyſes et ligamenta horum oſſium conjunctioni inſervientia.

5) Os coccygis cum oſſe ſacro in faeminis, cartilaginibus flexibilioribus quam in viris connectitur (*n*) ligamenta etiam capſulam formant circa hoc oſſiculum.

Pelvis diviſio.

§. 10.

Pelvis dividitur in marginem et cavitatem. Margo ſeu uti aliis placet *pelvis major* formatur, ab ilei ſuperficiebus internis, deficit vero antrorſum, retrorſum vero ab hoc ſupletur quod ſupra oſſis ſacri marginem eſt. a cavitate ſeparatur per lineam *innominatam* dictam.

Cavitas vel *pelvis minor* in aperturam et cavitatem ſtricte dictam dividitur.

1) *Aperturae* ſunt duae, ſuperior ſcil. et inferior, ſpatium vero inter has cavitas audit.

a) *Aper-*

(*m*) Nonnulli exiſtimant dari oſſificationem inter haec oſſa.

(*n*) Forſan ex hac flexibilitate cartilaginum quae caeteris paribus major eſt in faeminarum quam in virorum pelvibus, hypotheſis ſeparationis pelvis oſſium in omnibus partuum ſpeciebus, uti hodierni ut plurimum credunt, ortum duxit.

a) *Apertura superior* retrorſum ab angulo oſſis ſacri lateraliter a linea innominata oſſis ilei, et a criſta oſſis pubis antrorſum formatur. Figura ejus eſt cordis in chartula luſoria picti adinſtar, ejusque veſtigium impreſſum retrorſum a promontorio oſſis ſacri oritur.

b) *Aperturae inferioris* figura eſt ovalis, et ab oſſe coccygi, ligamentis tuberoſo ſacris, aſcendenteque oſſis iſchii ramo et ab arcu ſub pube formatur.

2) *Cavitas* inter has aperturas media formatur retrorſum, ab excavatione ſacri et coccygis, lateraliter a deſcendentibus oſſis iſchii ramis, et ab oſſis pubis ſuperficie ſive poſteriori, antrorſum.

Uſus pelvis.

§. 11.

Pelvis ſuum habet uſum non modo in et extra graviditatem, ſed etiam in ipſo partu.

1) Extra graviditatem a) inſervit formandae tertiae et inferiori corporis humani cavitati, in qua continentur varia viſcera ſcil. inteſtinum rectum, veſica urinaria, in ſexu maſculino veſiculae etiam ſeminales et in feminino uterus.

c) Muſculorum ligamentorumque partium genitalium inſertioni, nec non oſſium foemorum capitibus receptaculo efformando.

2) Graviditatis tempore uterum extenſum ſuffulſit parietum in more, et promontorii ope eum ſimul cum ovo humano in aptum dirigit ſitum.

3) In

3) In partu reagit in partes molliores, impeditque harum prolapſum atque diſruptionem; conprimit dirigitque praeterea infantis caput, ut commodisſime caeteris paribus exeat.

§. 12.

Peractis utcumque breviter omnibus, quae in genere de pelvi dicenda erant, conſiderandum modo venit qualis pelvis eſſe debet, ut partus absque magnis incommodis perfici quaeat, et qualis interdum non ſine magno ſive matris, ſive foetus damno a naturali aberrat tramite.

Pelvis bene formata.

§. 13.

Si longitudo pelvis circumferentiae proportionem adaequatam habet (*o*) cum longitudine foeminae ad quam pertinet, ſi diametra juſtam labent dimenſionem, habita ratione ad dimenſionem embryonis capitis, uti communiter in ſtatu invenitur naturali (*p*), tunc bene conformata habetur pelvis.

Dia-

(*o*) Haec circumferentia determinatur ab authoribus ad $\frac{1}{4}$ partem foeminae altitudinis. differt ergo magnitudo ratione majoris vel minoris foeminae proceritatis.

(*p*) In ſtatu dixi naturali, etenim in bene conformatis pelvibus etiam partus decurrunt incommoda et difficultates, vel ſi caput a prima genetatione nimis magnum, vel ſi morboſam ſolito majorem habet magnitudinem, vel ſi ſuturae inter cranii oſſa oſſificatae fuerint, tunc non ſine difficultate tranſire poteſt caput, imo interdum impoſſibilis prorſus fit partus.

Diametra pelvis.

§. 14.

Dictum est jam aperturas dari pelvis, per quas caput transit foetus. Hae vero aperturae si dimensiones habent capitis magnitudini haud respondentes, partus inducunt difficiles; hae dimensiones *diametrorum* nomine notae sunt, differuntque *numeri* et *magnitudinis* ratione. In superiori apertura adsunt tres conjugata transversa et obliqua, in inferiore vero adsunt duae, conjugata nempe et transversa.

1) *Conjugata superior* extenditur a parte promontorii media usque ad ossis pubis symphysim, etque diametrorum trium hujus aperturae minimus et *quatuor* et $\frac{1}{4}$ pollices latus.

2) *Transversa* a media ossis ilei parte unius lateris versus alterum oppositum, integra pollice major est, quam praecedens ergo 5 et $\frac{1}{4}$ habet pollices.

3) *Obliqua* (q) est duplex sc. dextra et sinistra; dirigitur a posteriori angulo excavato ossis sacri unius lateris et oblique versus oppositum os pubis alterius lateris currit, estque diametrorum maximus utpote 5 et $\frac{1}{2}$ pollices habens.

4) *Di-*

(q) Obliquus et transversus superioris aperturae diameter, interdum longitudinis ratione differunt inter se, sic ut quandoque hic, quandoque ille major sit, sed non multum interest, modo conjugata hujus aperturae justam habeat dimensionem.

4) *Directio* superioris aperturae 55 fit a linea horizontali.

5) *Axis* est *linea* hujus directionis perpendicularis, minime convenit cum corporis axi, sed cum eo format angulum 35. (*r*)

§. 15.

Inferioris pelvis aperturae 1) Diametron *transversum* extenditur ex una tuberositate ossis ischii ad alteram, *magnitudinis* ratione convenit cum conjugata superiori.

2) *Conjugata* inferior ab ossis sacri apice tendit sub arcu infra pubem, convenitque cum transversa superioris aperturae. (*s*)

3) *Directio* hujus aperturae obliqua etiam est, si faemina situ stat erecto inclinat a linea horizontali sub angulo 18.

4) *Axis* inferioris pelvis aperturae inclinat ex horisontali sub angulo 72, si vero prolongatur, sub diaphragmatis fere incidit centro. Hi duo axes ad decussis figuram rediguntur eo in loco, ubi os sacrum majorem format curvaturam.

Cavitas pelvis.

§. 16.

Quemadmodum aperturae, sic etiam cavitas suas habet dimensiones seu diametra.

1) *Con-*

(*r*) Secundum hujus lineae longitudinem situs est uterus in ultimo gestationis mense.

(*s*) Mobilitas ossis coccygis in causa est, cur non determinetur ab hoc osse hoc diameter, ob mobilitatem enim indeterminata foret dimensio.

1) *Conjugata* a curvatura oſſis ſacri ad arcum ſub pube producitur, habetque 5 et $\frac{1}{2}$ pollicem, cum obliqua ergo convenit ſuperioris aperturae.

2) *Transverſa* ſpatium inter binas internas oſſis iſchii apophyſes occupat, 4 et $\frac{1}{4}$ habet pollices, hinc aequalem habet magnitudinem ac conjugata ſuperioris aperturae et transverſa inferioris.

3) *Profunditas* cavitatis hujus non ubique aequalis eſt (*t*) quod obſtetricantes ut ſciant, quam maxime neceſſarium explorandi ergo, habet ſcil. antrorſum 2 pollices, lateraliter 4, retrorſum vero 5 vel 6.

4) *Figura* cavitatis ovalis eſt, rotundior vero extremitas in oſſis ſacri incidit curvaturam. Directio eſt curva.

Pelvis malae conformationis.

§. 17.

Pelvis fabrica, figura et conſtructione ſive partialiter ſive univerſaliter a naturali recedens,

(*t*) Cognitio profunditatis pelvis magni eſt momenti in arte obſtetricandi, praeſertim iis, qui felices in operationibus eſſe cupiunt. Ex hac enim ſola cognitione determinare licet juſtum tempus inverſionis inſtituendae, forcipum ſive *ſmellianae.* ſive *Levretianae* applicandarum magna enim difficultate invertitur foetus, ſi caput perverſe ſitum, aperturam jam replet ſuperiorem vana eſt tentatio applicationis forcipis ſmellianae, ſi non ad inferiorem aperturam, vel ſaltem pelvis cavitatem caput pervenit &c.

cedens, variis nempe ex caufis poftea enumerandis, fic ut partus vel fumma cum difficultate, vel omnino fponte fieri haud poffit, *male conformata* dicitur. Vitium partiale effe poteft vel in fuperiori vel in inferiori apertura, vel denique in ipfa cavitate.

§. 18.

Apertura fuperior peccat vel nimia anguftia vel nimia latitudine.

1. *Nimis angufta* fit vero caufis ex fequentibus

a) Ex promontorio nimis prominente.
b) Ex arcu offis pubis jufto minorem habente convexitatem.
c) Ex inaequalitatibus in offibus simetricis.
d) Ex exoftofibus, nodis, callofitatibus etc. in pelvis circumferentia.

§. 19.

Ex nimis prominente promontorio minuitur dimenfio conjugata fuperioris aperturae pelvis (*u*) quod etiam fit in *compreffis* et *complanatis* nimis pelvibus, cujus caufa eft minor offis pubis convexitas, hac differentia vero quod in complanatis *obliqua* fimul imminuitur, *transverfa* vero augetur (*x*) quae omnia majo-

(*u*) In pelvi, cujus conjugata, vel uno verbo apertura fuperior angufta eft, obfervatur inferiorem tunc ut plurimum latam effe; et fic partus in initio protractus, acceleratur, verfus finem.

(*x*) Hinc fequitur caput in transverfum diametron ingredi cogi, indeque veficam comprimi urinariam tam

majori in gradu vero etiam occurrunt in compressis. Interdum fit quod unum ex pubis ossibus sit altero longius, vel etiam alterum horum sit convexum, alterum vero planum, ex hac ossium symetricorum *deformitate*, circumferentiae inaequalitates, indeque partus incommoda producuntur, a *callositatibus* exostosibusve diametra imminui posse neminem latere poterit.

§. 18.

Vidimus in compressis et complanatis pelvibus conjugatam superiorem imminui debere, gradu vero differt haec imminutio, ita ut non semper inde fiat partus impossibilis, sed haud raro ad hunc perficiendum requiruntur instrumenta varia huic scopo inventa. Sic, verbi causa, si 3 et $\frac{1}{4}$ habet pollices, partus naturae moliminibus absolvitur (*y*), si 3 et $\frac{1}{2}$ extrahitur foetus vivus forcipis ope (*z*). Si imminuitur conjugata ad 3 et $\frac{1}{4}$ forcipe extrahi potest foetus, non autem vivus sed mortuus

tam magno in gradu, quod ischuria molesta post partum usque producatur. Descensus capitis praeterea tali modo siti inferiorem aperturam difficilem vel omnino impossibilem exitum parat.

(*y*) Quod facile admodum fieri potest, nam capitis inter aures latitudo 3 et $\frac{1}{2}$ pollicum dimensionem non excedit.

(*z*) Extractio foetus vivi forcipis ope in tam angusta pelvi, non adeo miraculosum forsan videri debet, quia per suturas cranii interosseas cerebri compressio praepeditur.

tuus (*a*). Si tres habet pollices, tota in ſectione *Caeſarea* ponitur ſpes. Interdum ad 2 et $\frac{3}{4}$. 2 et $\frac{1}{2}$, 2 et $\frac{1}{4}$ pollicem, immo ad 21, 15, 11, lineas minuitur, in tali caſu autem recomendatur vel hyſterotomia (*b*), ſi foetus eſt vivus, vel embryotomia, ſi foetus eſt mortuus.

2. *Lata nimis* ſit apertura pelvis ſuperior a promontorio nimis retracto (*c*) vel a juſto magis prominente apice oſſis ſacri.

§. 19.

(*a*) Cauſa latet in nimia cerebri compreſſione.

(*b*) Hyſterotomia ab antiquioribus ſimili in caſu celebrata, inter recentiores non multos invenit fautores, infelicem ob eventum in matre praecipue. Indeque ab iisdem huic alia minus forſan periculoſa ſubſtituitur operatio, nempe Symphyſeos oſſium pubis ſectio, cujus ope aperturae latitudinem augere conantur obſtetricantes. Verum enim vero variae inde lites exortae inter artis peritos ſit ut culpetur ab his laudetur ab illis. Argumentum vero admodum probabile contra hoc eſt, quod equidem difficile determinetur an conjugata 2 et $\frac{1}{2}$ habeat pollicem, quod habere debet, teſte cel. *Saxtorphio*; ſi cum utilitate hanc operationem celebrare velimus, imo vix neceſſariam eſſe affirmat, ſi tres habet pollices. Quomodo vero haec accurate determinanda? equidem haud ignoro varias ab authoribus commendari enchyreiſes ad hoc indagandum. Sic *Levret* tum demum ſectionem *Caeſaream* inſtituendam docet, dum manus ingredi non poteſt ſuperiorem pelvis aperturam, vel nec ſimul cum foetus pedibus retrogredi poteſt, ſed luculenter patet incertitudo hujus enchyreiſeos, ob majorem manus magnitudinem in uno quam in altero ſubjecto, dein major etiam requiritur latitudo ad capitis quam ad pedum tranſitum.

(*c*) Uti ſit in gibboſis ob vertebrae lumborum incurva-

§. 19.

Apertura inferior etiam peccat ratione latitudinis et anguſtiae.

1. Anguſtia fit,
   a) A nimis appropinquantibus oſſis iſchii tuberoſitatibus.
   b) Ex appropinquatione apicis oſſis ſacri, verſus arcum ſub pube.
   c) Ex oſſis coccygis vel per oſſificationem vel per luxationem immobilitate.
   d) Ex arcus infra pubem anguſtia.
   e) Ex circumferentiae exoſtoſibus.

§. 20.

Cavitas variis etiam modis a naturae tramite aberrat, et praeter vitia alia habet et talia, quae recenſita ſunt in aperturis. Scil. quod eſt

a) Nimis lata (*d*).
b) Nimis anguſta.
c) Ejus latitudo latitudini aperturarum non reſpondet, quod fit 1) ſi os ſacrum juſto

curvationem. Hujus latitudinis ſequelae ſunt: 1. Capitis introitus in omnibus variis ſitubus et difficilis ejus per inferiorem aperturam exitus. 2. Orificii uteri violentia, atque tardior et non niſi per juſtum cum capite attactum dilatatio. 3. Uteri retroflexio, qui ergo aſcendere nequit ſecundum aperturae axim. Tali modo ſuper marginem pelvis anteriorem trahitur orificium et cauſam inducit partus difficilis.

d) Uterus tunc facile deſcendit et retroflectitur perinaeum, et genitalia laeduntur.

justo minus curvum. 2) Si os pubis plana nimis. 3) Si exortoses aliaeve excrescentiae in circumferentia adsunt. 4) Si caput ossis foemoris per luxationem foramen intrat ovale (*e*).

d) Profunditas interdum minus justam habet dimensionem (*f*).

§. 21.

Quemadmodum partes pelvim constituentes specialiter vitiosae esse possunt, sic etiam tota pelvis generaliter malam potest habere conformationem, quod fit tribus sequentibus modis.

1. Figura pelvis sc. in omnibus diametrorum aperturis, potest esse vel nimis magna vel nimis parva.
2. Poterit esse distorta.
3. Poterit masculinae esse similis pelvi.

§. 22.

Nimis magna, caeteris paribus vero bene conformata pelvis; primo forsan intuitu pro optimo partus omine assumere licebit, nam partus

(*e*) Replet tunc partem cavitatis pelvis, et capitis obstat exitui.

(*f*) Fit interdum, quod pars anterior, lateralis vel posterior pelvis justo majorem vel minorem habeat latitudinem. Ex. gr. Si superficies interna ossium pubis plus habet quam duos pollices retardatur partus; si vero minoris est latitudinis, acceleratur, sic etiam res se habet cum latitudine majori vel minori caeterarum pelvis regionum.

partus acceleratus qui inde ut plurimum fit, a quamplurimis inter infelices haud numeratur, quia, uti perhibent brevissimum dat finem omnium parturientis laborum. Verum enim vero a simili partu, proh dolor! periculosa saepe instare possunt symptomata. Acceleratus enim partus violentiam inducere valet. 1) *Segmenti inferiori.* 2) Perinaei disruptionem. 3) Placentae nimis subito solutionem indeque haemorrhagias periculosas oriundas. Interdum etiam 4) colli uteri elongationem, 5) ipsius uteri retroflexionem. 6) Vesicae urinariae pressionem, indeque sequendam ischuriam molestam post partum etiam. 7) Uteri quoque prolapsus a pelvis nimia latitudine inducitur.

§. 23.

Si pelvis *universali* peccat angustia, ut plurimum partus fit vel protractus, vel durus et difficilis, vel omnino impossibilis, ratione habita ad majorem vel minorem angustiam quod specialiter magis explicandum puto, dum seorsim de variis partuum speciebus dein fuerit sermo.

§. 24.

In *distorta pelvi*, ut plurimum diametra justam non possunt habere dimensionem, hinc insequuntur damna a capite infantis male sito. Talis *distorsio* vero variis poterit esse modis. Os *ileum* nempe unius lateris altius quam alterius. Os *sacrum* oblique inter ossa

ilea ſitum. *Spina dorſi* quoque diſtorta, alterum oſſium *pubis* altero brevius. Figura *ſymmetrica* aperturarum mutata, *ſymphyſis* oſſium pubis, oſſis ſacri *promontorio* haud oppoſita.

§. 25.

Si pelvis *maſculinae* eſt ſimilis, varia iterum partus inducuntur incommoda. Notum enim eſt, in potiori ſexu oſſa pelvis *craſſiora* eſſe, *majusque* ergo occupare *ſpatium*. *Oſſa ilea* cum criſta eorum ſuperiori magis contigua vel proxima inter ſe eſſe. Os *ſacrum* anguſtius minusque curvatum quam in ſequiori ſexu. *Promontorium* minus prominere. Oſſa *pubis* quoque majorem formare curvaturam vel convexitatem in foeminis quam in viris, *aperturam ſuperiorem* et *arcum infra pubem*, minorem eſſe in hiſce quam in illis. *Cartilagines* etiam intra oſſa pubis anguſtiores minusque elaſticas. Oſſa iſchii minus *divergi*, et acetabula, magis verſus oſſa pubis *ſita* eſſe in viris. Ita autem ſi tali modo conformata fuerit pelvis in feminino ſubjecto, non mirum erit anſam dari dyſtociae, partim in apertura ſuperiori, partimque in inferiori.

§. 26.

Patet jam, quot modis pelvis a naturali via deviare poterit, incommodaque inde quam plurima in partu induci. Nihilominus non ſemper ob malam pelvis ſtructuram ſive generalem ſive ſpecialem partus redditur difficilis. Interdum enim in foetu con-

traria

traria occurrunt vitia, quae tali in caſu perfectiones vel *commoda* ſaltem nominanda eſſent. Exempli gratia:

1) Foetus ordinariam haud adeptus magnitudinem. (*g*)
2) Sutura capitis ſolito latiora. (*h*)
3) Oſſa cranii abſolutam non adepta adhuc dum duritiem. (*i*)
4) Perverſus capitis ſitus pelvis vitio reſpondens. (*k*)
5) Aliae circumſtantiae magis extraordinariae in embryone praeſentes. (*l*)

Æthiologia malae pelvis conformationis.

§. 27.

Multiplices poſſunt eſſe cauſae malam pelvis conformationem producentes. Praecipue vero ad quatuor reducuntur claſſes, ut plurimum occurrentes. Sunt autem

1) Conformatio prima.
2) Fracturae.
3) Convulſiones.
4) Morbus rachiticus.

 §. 28.

(*g*) Parvus enim foetus facilius tranſit per pelvim minorem quam ſi ſolitam habet magnitudinem.

(*h*) In tali caſu absque periculo comprimuntur oſſa cranii vel ab ipſis pelvis oſſibus vel a forcipe.

(*i*) Cauſa patet ex dictis ad notam praecedentem.

(*k*) Perverſus ſitus tunc utilis eſt, quia uno vitio emendatur alterum.

(*l*) Ex. gr. ſi foetus cranio omnino caret, ut interdum obſervatum.

§. 28.

Quoad *primam conformationem* locum habet tum in potiori quam in sequiori sexu: notum enim est, quod fabrica partium interdum longe a naturali modo recedit, in viris quidem minoris momenti quam in foeminis; ratio in propatulo est. (*m*)

§. 29.

Fracturae partim ob callositates, partim ob neglectam et perversam curationem, ansam vitiis pelvis praebere possunt, quod nemo inficias ibit. *Convulsiones* praecipue in teneris subjectis, infantibus, ubi ossa et anticulationes sufficiens non nactae adhuc robur, distorsiones in vertebris producunt aliquando lumborum, quae iterum in os agunt sacrum, talique modo igitur mutare possunt pelvis dimensiones.

§. 30.

(*m*) Non modo figurae et conformationis ratione peccat subinde prima corporis fabrica, sed et etiam numeri partium deficientis nempe vel excedentis. Exemplum defectus mihi contigit videre A. 1781. in foetu molitricis. Deficiebant enim brachia manusque et foemora, patellae ad acetabula ossis ischii sitae erant, in pedibus quatuor tantum aderant digiti, quoad caetera vero robustus, sanus vegetusque erat foetus. Genitalia praecipueque testiculi ratione habita ad caeteras corporis partes ingenti erant voluminis. Vox erat fortis mascula in ploratu. Appetentia gaudebat bona, optimeque valentem vidi adhuc duos menses natum, jam vero nescio num adhuc in vivis est.

§. 30.

Rachiticus vero morbus prae caeteris omnibus dictis, frequenter malam inducit pelvis conformationem, totius enim corporis ossa hoc miserando in statu molliora flexibilioraque fiunt, adeoque aptiora redduntur impressionibus et externis injuriis recipiendis.

1. Sic *claviculae* sternum versus praesertim intumescunt et intorquentur.

2. *Sternum* ipsum nimis prominet, hinc musculi abdominales *recti*, qui punctum insertionis in hoc habent osse, simul cum osse pubis, quo alterum extremum musculorum adhaeret, altius tolluntur; sicque pelvis superior apertura a debita aberrat forma et plana horizontalisque nimis fit, verbo, angustatur; e contra vero inferior ampliatur.

3. *Ossa foemoris* cylindrica extrorsum curvantur, eorumque capita ergo in acetabulis articulata in pelvi iterum dant impressionem adeoque colla foemorum transversalem acquirunt directionem: et quia totius corporis pondus in haec cadit, in rectum premuntur angulum, et perversa igitur directione agere coguntur.

4. *Spina dorsi* curvatur etiam in rachitico morbo, ob connexionem autem cum ossi sacro, illud os e sede movetur sua et iterum variis pelvis deformationibus praebet originem, a qualicumque externa compressione, a prava in brachiis gestatione, a vestimentis arctioribus minusve aptis in hoc morboso statu,

magis adhuc diſtorquentur oſſa, premunturque et fabrica ſic laeditur pelvis, et etiam in provectiore aetate veſtigia, caeteris licet oſſibus ad juſtam redactis formam, in pelvi manent et occaſionem pariunt variis partus impedimentis.

§. 31.

Haec ſufficiunt de iis, quae ratione pelvis ſtructurae afferre mihi neceſſaria videbantur; ſi forte alia adhuc addenda alicui viſum, haud dubito equidem potius ad ſubtiliora quam ad ſolidiora pertinere. Hinc omnes probis atque bonis excuſatum me habere certus ſum, quod haec libenter omiſerim; ſtatim absque longioribus ambagibus me ad pertractationem affectionum naturalium et morboſarum a graviditate et partu pendentium conferendo, nec eſt quod putetis me de mollioribus partus partibus ſc. utero et vagina acturum, cum haec praeſertim ab omnibus anatomicis traduntur, praetereaque cum ad ſingulos fere partus ſpeciatim de harum vitiis vel mutationibus mentio injicienda ſit.

Caput II.

De affectionibus naturalibus et morbosis a graviditate et partu pendentibus.

Graviditas.

§. 32.

Gravida dicitur foemina maturae aetatis viro cohabitata, si vel in uteri cavo (*n*) vel in tubis fallopii, ovariis aut in alio quocumque loco cavitatis abdominis irradicatur ovum semine virili foecundatum, donec successivo illius incremento uterus ejusve partes cum abdomine extenditur: quo graviditatis status determinatur.

Phaenomena graviditatis in partibus specialioribus corporis.

§. 33.

E graviditate tanquam e nova causa exoriuntur variae mutationes notabiles, quae se exserunt vel speciali modo in utero, aliisve partibus singularioribus, vel in corpore toto.

1) *Mensium suppressio*, quae communiter contigit, simulac ovum utero adhaeserit, sive hoc fit, quia sanguis superfluus post conceptionem, impenditur nutrimento ovi uterique

(*n*) Haec ordinaria est graviditas, extraordinaria vero appellatur, quando extra uterum locatur ovum, cujus varia exempla prostant.

que incremento, quippe quod orificia vaſorum velamentis ovi ita obturantur, ut nulla menſtruationi ulterius via pateat.

2) *Diſtentio uteri*, altera notabilis mutatio quae in graviditate contingit, ob vaſculoſam naturam enormiter adeo affluxu ſanguinis in ſerpentinoſos uteri canales novo ſtimulo alliciti dilatatur ejusdem cavitas, ut non modo foetui ſed et ſecundinis liquorique amnii intra membranas contento ſufficiens ſpatium concedat; hinc moles ejusdem adeo augetur, ut ſenſim ſenſimque creſcendo a ſuperiori pelvis parte, cui ante graviditatem pro maxima parte pyri complanati inſtar haerebat ad ſcrobiculum cordis usque tempore geſtationis ſeſe extenderit.

3) Mutatur in graviditate ſimul *vagina*, cum primis duobus menſibus deſcenſu uteri, quoad longitudinem brevior reperitur, poſt tertium vero menſem aſcendente ſupra marginem pelvis utero, elongatur iterum, usque ad finem graviditatis, quo tempore, priori cauſa, de novo brevior apparet, quemadmodum poſt quintum menſem ſucceſſive ita dilatatur una cum collo uteri, ut rugae internae ſenſim ſenſimque delcantur, liquorque vaginalis verſus terminum partus ſpiſſior; muci tenacioris inſtar reddatur.

4) *Mutatur abdomen* ab utero increſcente, quae in juſta et ordinata graviditate poſt tertium menſem lente ab oſſibus pubis, oblique anteriora et ſuperiora verſus ſucceſſive expandi-

panditur, donec versus finem graviditatis figura rotunda circa umbilicum maxime protuberet.

5) Praeter has mutationes circa vigesimam graviditatis hebdomadam percipiuntur *motus embryonis* pisciculi adinstar se moventis, contraque manum abdomini impositam manifeste illidentis ab exploratione sentitur.

6) Tandem *mammarum* insequitur *mutatio* consistens, in earumdem intumescentia, duritie lactisque confectione, papillarum colore rubro fusco, quae omnia circa quartum mensem aut serius observantur.

7) Etiam pedes crura et genitalia ultimis mensibus subito intumescere solent; quae reliquae sunt mutationes partium singularium internarum, non adeo sunt observabiles aut visui patentes.

Mutationes totius corporis.

§. 34.

In reliquo corpore a conceptione facta usque ad partum aliae non minus notabiles occurrunt mutationes sc. horror levis statim conceptionem insequens aliaque symptomata (quae facilius ab impraegnata foemina sentiuntur quam describuntur) sub coitu vel statim post coitum se exserunt, dolores in hypogastrio et circa umbilicum, fastidium, nausea, vomitus, animi deliquia, appetitus depravatus, pica, vertigo, cephalalgia,

gia, odontalgia, ptyalismus, ructus acidi, vicissitudo laetitiae et moestitiae assidua, appetentia hujus vel illius insoliti cibi prae caeteris: (*o*) Aversio a coitu; quem quaedam tamen magis appetunt, (*p*) rariaque alia se sistunt phaenomena non semper tamen in omnibus subjectis aeque observabilia, plurima quoque illorum ad finem tertii mensis sponte cessare solent; cum primum in aliis subjectis alia incipiunt symptomata morbosa, respiratio nempe difficilis, tussis, affectiones variae spasmodicae, dolores lumborum, ischuria, haemorrhagia uterina, profusio liquoris ovi, abortus, uti etiam post sextum mensem obstructio alvina, haemorrhoides caecae, tenesmus, ischuria, stupor crurum, descensus uteri, nec non sanguifluxus ex utero saepe periculosissimus et prorsus improvisus.

Signa graviditatis.

§. 35.

A prodictis phaenominis et mutationibus morbosis desumuntur signa graviditatis, quorum *intumescentia abdominis* et *mammarum*, *motus embryonis* legitimo tempore perceptus et segmenti uteri inferioris *justa mutatio*; pro certissimis habentur, incertiora reliqua putan-

(*o*) Novit *van Switen* multas matronas, quae ex hoc solo signo noverant se gravidas esse. vid. comment. in aphorism. Boerhav. Tom. IV. p. 451.

(*p*) Forseca med. Lusit. disput. 2. cap. 2. p. 41.

tantur; haec enim tam in graviditate ordinaria quam in extraordinaria communiter observantur adeoque a nobis ut *constantiora* ulterius sunt pertractanda.

A) *Intumescentia abdominis*, quae in justa et ordinata graviditate ab utero gravido lento incremento juxta axin superiorem pelvis, ascendente producitur, differt ratione formae et indolis ab aliis tumoribus abdominis, cum quibus facile confundi potuisset, sic,

1. *A tumore ascitico* eo maxime distinguitur, quod hic mollior magis complanatus et aequabilis, latera distendit aequae ac anteriorem abdominis partem cum notabili fluctuatione liquoris percussione ventris moti; quodque in tumore hydropico umbilicus profundus coni excavati formam obtinet, in graviditate vero saltim post sextum mensem complanatur primum, superato vero septimo mense coni adinstar extra abdomen protrusus elevatur vel omnino deletur (q), in hoc statu praeterea nullus ad medium gestationis tempus sentitur motus embryonis.

2. *A hydrope anasarca*, ubi tumor totius abdominis mollis et aequalis, foveam a digito impressam diu retinens, lenteque ab extremitatibus inferioribus prius tumefactis in ventrem adscendit, in graviditate vero inverso ordine incepit primum tumor ventris ultimoque graviditatis tempore insequitur de-

(q) Roederer element. art. obstetric. p. 68.

demum pedum, crurum et genitalium absque aliis ascitidis peculiaris signis.

3. *A hydrope cystico* per explorationem orificii uterini plane immutati, nisi in ovario ipso cysticus tumor contineatur, tunc a sede sua ad latus removeri orificium uteri observarunt cel. *Callisen* (r) et *Saxtorph.* (s)

4. *A tympanitide* in quo abdomen aequaliter tensum ad apulsum, tympani instar sonat nulla in orificio uteri observata mutatione.

5. *Ab aliis tumoribus* quibuscumque ex ipso utero inflato, turgido schirroso cancroso Hydropico suppressione mensium, inflammatione, mola aliisque causis praeter graviditatem ortis; distinguitur praesertim proportionato modo et ordine, quo increscit sub graviditate abdomen, dum fine tertii mensis globi adinstar in regione hypogastrica prope pubim prominet. In quinto vero mense regionis umbilicalis infimam partem attingit. In septimo totam regionem umbilicalem adimplet. In octavo regionem epigastricam elevat donec nono mense iterum ad umbilicum protuberat; ne dicam de specialioribus horum morborum signis, quae statum hunc morbosum a graviditate diversum ulterius determinant: quaemadmodum exploratio vaginalis diversorum talium tumorum indolem interdum haud obscure declarat.

B. *Mo-*

(r) Chyrurg. Hodierna.

(s) Act. Hafniens.

B. *Motus Embryonis* raro ante vigesimam graviditatis hebdomadam, vivente quamvis infante cognoscendus, signum graviditatis exhibet indubitatum, tumorisque abdominis certiorem originem manifestat, modo non cum aliis spasmodicis intestinorum motibus confundatur, sed pisciculi se moventis adinstar, contra manum exploratoris frigidam abdomini impositam illidentis sentitur.

C. *Segmenti inferioris uteri justa mutatio* inter graviditatis signa certiora merito referenda est; haec quoque indolem tumoris abdominalis sive a graviditate exoritur, sive aliorum morborum effectus sit haud obscure determinat: praesertim si mutatio substantiae situs et figurae, ordinario modo et tempore, quo fiere solet, contingit. *Prioribus* enim *duobus* mensibus novo pondere ovi et affluentis humoris descendit uterus profundius in vaginam, ita ut prima digiti phalange infra orificium vaginae facile attingi possit. Eodem tempore digitus exploratoris methodo a celeb. *Puzos* celebrata per intestinum rectum intromissus, facile turgescentiam posterioris superficiei uteri, incremento ovi dilatati (*g*) dignoscere valet, portionis vero vaginalis uteri substantia cartilaginea quandam magis jam spongiosa mollior et crassior evadit. (*h*) rima

(*g*) Hoc explorandi modo a descensu uteri morboso determinatur graviditas.

(*h*) Insignem calorem quem in orificio gravidarum observa-

ma praeterea inter bina labia orificii praesens, quae in non gravidis transversa est, in gravidis vero mox in lenticularem formam contrahitur, quae in initio graviditatis juxta assertionem *Hippocratis* (*i*) vere clausa reperitur, praesertim in primiparis, in iis quae saepius peperere digitalis adinstar exterius apertum. (*k*) *Tertio mense* cum nullum amplius spatium in pelvi arctata invenit uterus, superiori sua parte insigniter dilatatur, per figuram pyriformem supra marginem superiorem pelvis ita elevatur, ut segmentum inferius ea adscensione tam longe ab orificio vaginae in altum attollatur, versusque promontorium ossis sacri retrovertitur ut digiti explorantis ope, vix ulterius in vagina attingi possit. *Quarto mense* vacua omnia in parte posteriori vaginae reperiuntur, in anteriori vero parte inter vesicam urinariam et orificium uteri, per substantiam uterinam molis contentus experto digito

servare voluit *Lewretus* vix characteristicum quid esse puto.

(*i*) Magna fuit inter authores disputatio, utrum foemina gravida censenda sit, cui apertum fuerit orificium uteri nec ne. Nos utramque sententiam stabuliri posse affirmamus. In aliis enim clausum juxta assertionem *Hippocratis* invenimus orificium uteri inpraegnati, in aliis apertum idem reperitur.

(*k*) Hinc non generaliter vera est authorum opinio, scil. quod orificium statim post conceptionem clausum sit, nisi per orificium intelligere velimus orificium internum.

digito haud obscure sentitur, praesertim si eodem tempore externa manu abdomini applicata leniter deprimitur fundus uteri. *Quinto* mense repletum magis et tumidum invenitur in anteriori parte segmentum inferius lenique digiti compressione exercitatus explorator non raro sentit teneriores partes foetus inclusi. *Sexto mense* facilius digito in vagina attingitur orificium profundius depressum, quod eodem tempore brevius mollius nonnihil rugosum et planiusculum invenitur, figura segmenti inferioris sphaeroidea et flaccida in anteriori pelvis regioni reperitur, pressione digiti in parte hac globosa pilae mobilis cadentisque instar movetur foetus. *Septimo mense* collum uteri prorsus dilatatum, segmentum inferius perfecte globosum reddit, in eodem orificium mollius planius annuli lati carnosi instar se sistit. *Octavo mense* mollius adhuc et tenius segmentum inferius reperitur, pressione digiti, in eodem pondus dilabentis foetus retropressi manifestius sentitur. *Nono mense* pergameni instar attenuatum est segmentum inferius, plane distracta labia orificii in forma infundibuli formae praesertim in primiparis exterius apertae sunt, in iis vero, quae saepius pepererunt, foramine rotundo ita patent, ut velamenta ovi in fine hujus mensis facile per idem tangantur.

Ambiguitas horum signorum.

§. 36.

Non equidem negandum est haec signa interdum dubia reddi.

1. *Si uterus ipse hydropicus* inveniatur, nullamque fluctuationem aquarum, quae pro signo diognostico hydropis assumitur percipi potest ob circumjacentium partium, crassitiem, nullaque orificii uterini mutatio quae graviditatem proderet, sese manifestat, hinc in tali statu de intumescentia abdominali dubium redditur exploratoris judicium.

2. *Proportionatum incrementum tumoris abdominis* graviditatem quidem destinguere valet â falsa gestatione, quae e supressione mensium aliorumve substantiarum carnosarum hydoticarum generatione, aut aquarum aërisve collectione in utero oritur, quia celerius fit ab initio in spuria graviditate abdominis incrementum quam in justa et ordinaria (*l*), fallit tamen hoc signum in gravidis, abdomen

(*l*) Docet experientia, abdominis in primis duobus mensibus tumorem insigniter augeri in falsa graviditate, cum e contrario in vera gestatione primis mensibus conplanatum reperitur supra os pubis, similiter observamus tumorem abdominis in graviditate spuria celerius augeri in initio, tardius vero versus finem graviditatis, cum e contrario in vera graviditate proportionato ordine ita increscit abdomen, ut in initio tardius, versus finem vero successive celerius fiat ejus incrementum.

men pendulum habentibus, nam in iis fundus uteri ſuper marginem pelvis anteriorem crura verſus deflectitur tumoremque abdominis ordinarie verſus ſcrobiculum cordis aſcendentem, mutato ordine inferiora verſus pendulum facit, hinc niſi ſegmenti inferioris uteri ſtatus ſimul exploratur judicium fallax redditur. (*m*)

Fallit ſimiliter in graviditate *extra uterina* pro ratione loci, quo ovum locatur, ſi geſtatio fuerit tubaria aut ovaria, in inguine praecipue tumor obſervatur, ſi vero extra uterum in pelvi, aut extra pelvim tumoris ſedes et incrementum longe aliter obſervatur.

In ſtatu gemellorum in obliquitate aut vitio morboſo uteri; in ſitu transverſo foetus, abdominis intumeſcentia longam diverſam obtinet formam et extenſionem, quam ſi uterus rite in graviditate locatus et extenſus fuerit; hinc multae dantur circumſtantiae, quae tumoris abdominalis proportionatum incremen-

(*m*) In iis, quibus pendulum eſt abdomen, cum deficit proportionatum incrementum verſus ſuperiora, quae ordinariam et veram graviditatem indicaret; nullum omnino certius ſignum haberi poteſt, quam e ſtatu ſegmenti inferioris. Hoc enim in ſpuria graviditate continuo immutatum, durum et ſolito modo accuminatum reperitur, niſi quod in primis duobus menſibus ita in alum attrahitur, ut digito vix attingi poſſit, cum e contrario deſcendit in primis menſibus, et tertio primum adſcendit ſucceſſiveque mutatur figura, uti ſuperius dictum eſt.

crementum et formam in graviditate ipsa vel maxime mutare valeant, ita ut status foeminae ex hoc solo signo interdum valde aequivocus reddatur (*n*).

3) *Motus embryonis* inter certissima graviditatis signa refertur, sive foetus fuerit in utero, sive extra uterum locatus; cum vero interdum vix ab aliis motibus spasmodicis in abdomine obviis certo distingui potest, praesertim in gravidis, ubi ob vitam debiliorem foetus, debilis remanet motus (*o*) vel in talibus, in quibus praeter nimiam foetus molem aut nimium torporem (*p*) minimus est aut fere nullus perceptibilis motus in utero, hinc in ejusmodi subjectis, motus embryonis, (ne dicam de iis, in quibus jam demortuus est foetus) ne quidem certum graviditatis signum praebere potest. (*q*)

4) *Seg-*

(*n*) In statu gemellorum figura abdominis quasi in duobus collibus profundo intervallo longitudinaliter destinctis divisa videtur, in situ transverso foetus ad latera magis expansum est abdomen, in anteriori vero parte complanatum: in statu gemellorum celerius quoque crescit abdomen, ita ut ad immensam magnitudinem extensum est in octavo mense, eaque ratione, partus gemellorum aliquot septimanis ante terminum partus consuetum fieri observatur.

(*o*) *Bourton* obs. XXIX. p. 518. T. I. narrat de foemina ad terminum usque gestationis ne quidem motum foetus sentiente. *La Motte* aliique obstetricantes idem saepe annotarunt.

(*p*) *Levret*, l'art des accouch. a Paris 1766. p. 44. Sect. X.

(*q*) Haud insolitum est in spuria graviditate vel etiam in

4) *Segmenti inferioris mutationem* ex variis caufis minus ordinate fuccedere obfervamus, in graviditate extra uterina, in morbis uteri, aut ubi placenta fuper orificium locata eft, tunc fegmentum jufto modo non attenuatur nec ejus mutationes tam rite procedunt. (*r*) Defcendit interdum fegmentum ex ftatu morbofo rurfusque non adfcendit in tertio menfe, adeoque nullum graviditatis fignum exhibere poterit.

§. 37.

Ambiguitas horum fignorum fenfualium luce meridiana clarior jam apparet; quid vero de caeteris ex *relatione foeminae* et *autopfia medici* petitis cenfenda? equidem adhuc funt fallaciora, quam priora adnumerata, fic ex foeminae relatione habentur.

1) *Major voluptas in coitu*, dubium omnino eft fignum, afferit enim *Mauriceau* (*s*) fe multas gravidas noviffe factas, uti ajebant, absque tali plena voluptate, quin fine facta conceptione voluptatem majorem foeminae faepe fentiunt. (*t*)

 2) *Semi-*

in primis menfibus motum fentiri quendam in abdomine, qui fuccedenti tempore fucceffive decrefcit taudemque ceffat. Hic motus mere fpasmodicus in errorem faepe inducit inexpertas: e contrario motus embryonis verus incipit primo verfus medium graviditatis foletque verfus finem continuo indefinenter augeri.

(*r*) *Saxtorph.* act. foc. med. Haf.

(*s*) Traite des maladies de femmes groffes liv. I. chap. 3. p. 48.

(*t*) Roederer Elem. art. obft. p. 59. §. 36.

10) *Appetitus circa hunc vel illum cibum prae caeteris* non raro ab idyosincrasia peculiari, vel ab acrimonia, naturae cibi desiderati contraria oriri potest.

11) *Vertigo, cephalalgia, odontalgia*, ab aliis causis inducuntur, sc. a congestionibus et ventriculo male affecto.

12) *Eruptio dentium sapientiae* (c) *ptyalismus, ructus acidi, vicissitudo laetitiae et moestitiae assidua aversio a coitu et vice versa* (d), inter rarissimas affectiones gravidarum numerari merentur, hinc pro graviditatis signis nullo modo assumendas.

§. 38.

Autopsia medici determinat, de partium genitalium utriusque sexus apta conformatione, potentia; optimaque amborum sanitate, dein de pupillis foeminae arctioribus, venis in angulo oculi majori conspicuis, renina viridi (*e*), ephilidibus seu maculis fuscis in facie, mammarum duritie et intumescentia, papillis rubris et fuscis, ignavia seu pigritie inconsueta, quae omnia tamen aeque incerta sunt ac praecedenti paragrapho recensita, occurrunt enim semel forsan in uno vel altero subjecto, minime vero in omnibus, adde, quod et quamplurimis causis potius quam graviditati natales suos debere possunt.

§. 39. De

(*c*) Uti annotavit *Klein* bis in una eademque foemina, interpres clinic. p. 451.

(*d*) *Fonseca* med. lusitan. disput. 2. Cap. 2. p. 41.

(*e*) *Fonseca* loc. cit. nuper.

§. 39.

De urinis quoque sumenda indicia graviditatis volunt quidam, has enim *Rhasis* claras esse ait in gravidis, "quibus quid simile nubibus inest, in eaque sunt sicut grana, ascendentia et descendentia." *Avicenna* "turbulentas malo vino similes aut aquae ciceris." Idem author alibi statuit urinas praegnantium claras esse, *Galenus* albas (*f*). Talis urina vero saepissime observatur in hystericis et in omnibus affectibus spasmodicis, qui vasa constringendo crassiora et terrestria retinent, et liquidioribus aquosisve tantum exitum praebent; ut taceam alias causas, e quibus subinde urinae emittuntur albae aquosaeve; inde patet signi hujus fallacia; videturque mihi ex urinarum inspectione conceptionem judicare velle, idem esse ac ex iisdem expiscari mulierum occultas cogitationes, arcanaque alto pectore sepulta: tamen in muliere caeteroquin sana, regulariter semper menstruata, jam vero non menstruata, urinam sanam apparentem, caeteris paribus, aliquid ponderis habere posse in dignoscenda graviditate affirmat *de Gorter*. (*g*)

§. 40.

Ex ventris torminibus post melicratum vespertino tempore foeminae dormiturae exhibitum

(*f*) Albas urinas solent vocare medici perspicuas et aquosas per coloris privationem. *Lanzanni* vero methodo dell' acqua fredda lib. I. p. 43.

(*g*) Medicin. *Hyppocratica.*

2) *Seminis retentio* (v) et *intima utriusque seminis commixtio* (x) vana ſunt ſigna nullis indiciis determinanda.

3) Qui vero ſequitur *horror levis* ſtatim ſub vel poſt coitum, quique ſenſibilitati majori vel minori individualis pendet non adeo fallax eſt niſi in ſubjectis inſenſilioribus, ubi ad tale phaenomenon raro attenditur.

4) *Dolores in hypogaſtrio* et circa *umbilicum* ſymptomata ſunt, quae etiam a flatibus aliisve ſpaſmodicis conſtrictionibus vel a vermibus originem habere poſſunt, etiamque colica non raro ſymptoma eſt.

5) *Ipſa menſium retentio*, fallit ſaltim in lactantibus; ſaepeque toto graviditatis tempore fluunt in variis ſubjectis, novi enim foeminam in noſodochi puerperali decumbentem, in qua ad quintum geſtationis menſem usque periodice ac regulariter fluebant menſtrua, poſt illud tempus vero ad finem graviditatis, quotidie haud parva quantitate erumpebant, praeterea menſium retentio varias praeter graviditatem agnoſcit cauſas plethoram nimiam ex. gr. ſpasmodicam conſtrictionem, uti ſaepe in hyſtericis, nec non congeſtiones ſuperiora verſus, aliasque cauſas debilitantes.

6) *Lactis*

(v) Mox inde convulſiva uteri conſtrictione retentum (ſemen) etc. *Boerhave* inſtit. med. §. 673. p. 324.

(x) Haec opinio tuebatur ab Empedocle, Hippocrate et Ariſtotele conſ. la Mettrie commentaires ſur les inſtituition de Medecin de *Boerhawe* Tom. VI. p. 395.

6) *Lactis in mammis confectio mammarumve intumescentia* minime pro signo graviditatis habenda, nam subinde virginibus quin et viris ipsis lac in mammis generatur. (*y*) In morbis exanthematicis non rarum est symptoma, sequitur saepe retentionem mensium, (*z*) sequitur quoque polyposas in utero excrescentias aliosque in pelvi obvios tumores. (*a*)

7) *Fastidium, nausea, vomitus* (*b*) quae tamen originem habere possunt in saburra primarum viarum vel tenuiore quadam materia vel debilitate, et nimia membranarum sensibilitate.

8) *Animi deliquia*, quae etiam natales suos debere possunt debilitati nervorum, et hysteriae saepius est symptoma: vel a perverso fluidi nervei influxu oriri potest.

9) *Appetitus depravatus*, *pica* saepe ab acrimonia in ventriculo sedem habente exoritur.

(*y*) *Boerhave* l. c. p. 337. §. 689. confer ad hunc locum et *la Mettrie* tom. VI. p. 351. cel. *Saxtorph.* narravit se observasse in puero, morbo exanthematico laborante lactis in mammis confectionem.

(*z*) *La Motte* trait. compl. des accouchem. naturel lib. I. p. LXIX. observ. XXXV. a Paris 1765. confer et de *Leurye* Abhandlungen über die Gebuhrten p. 52. et 53.

(*a*) *Bourton* systeme nouveau de l' art des accouch. traduit de l' anglois par msr. *la Moine*, a Paris 1771. obs. 1. p. 16.

(*b*) Nauseae, vomitus causam ex resorpto subputrido seminis halitu posuit *Hallerus* Elem. Physiol. T. VIII. p. 76.

bitum ortis, uti placet *Hippocrati* (*h*), non licebit affirmare graviditatem, dum in non assuetis viris quamvis, hystericis facileque movendis, facillime inde oriri possunt tormina, quamvis gravidae non fuerint, ab aëris fixi copiam, qui in melicrato aliisque similibus inest, quaque mora et ventriculi calore in fermentationem abeunt.

Æthiologia praecipuorum phaenomenorum in graviditate occurrentium.

§. 41.

E variis fontibus originem trahunt morbosae hae affectiones, quatenus vero e sola graviditate dependent, exoriuntur ut plurimum vel 1) a sensibilitate majore corpori consiliatae (*i*), 2) vel abundantia sanguinis, cessatione fluxus menstrui, molestiam corpori inferente. 3) a pressione et pondere increscentis ovi quod circumjacentes partes opprimit. 4) vel ab errore in rebus sex non naturalibus commisso. sic

1) *Horripilationes* et quae statim a conceptione fiunt symptomata soli nervorum affectioni adscribenda sunt.

2) *Nausea* vero et *vomitus*, qui ab initio fiunt, matutinisque horis ut plurimum gravidas

(*h*) Aphorism. lib. V. §. 41.
(*i*) *van Doeveren* prim. lineae de cognoscend. mulier. morb. §. XXIX.

das afficiunt, in quibusdam ad tertium menfem ceffant, in aliis toto graviditatis tempore perfiftunt. Non autem quaerenda horum caufa in humoribus et cacochylia congefta, faltim horum, qui in initio fiunt, fed in fympathia nervorum et partium confcenfu cum utero affecto, dum fanguis menftruus fuppreffus vafa infarcit abdominalia, vifceraque in eo contenta irritat, tales affectiones oriuntur. Vomitus vero, qui obfervantur in ultimis geftationis menfibus, poffunt quidem oriri aliquando ab humoribus et fordibus ventriculo collectis, fed plerumque debentur preffioni ventriculi et inteftinorum fitui mutato, ab utero altius afcendente, vel a motu vividiori foetus in iisdem impingentis male laborantibus.

3) *Dolores lumborum*, *inguinum*, quos fubinde patiuntur gravidae, originem habent vel in dilatatione et diftenfione partium a majori humorum affluxu, vel a pondere foetus ultimo tempore lumborum nervos aggravante et irritante, hinc praefertim augentur termino partus, dum utero fe contrahente foetus urgetur verfus fegmentum inferius.

4) *Mammarum intumefcentia* a fanguinis regurgitatione per anaftomofen vaforum epigaftrium cum et mammariis.

5) *Incontinentia urinae* praecipue in iis, quibus uterus verfus veficae fundum pendulus eft, obfervatur, adeoque ejusdem preffioni facile eft adfcribenda.

6) *Urinae*

6) *Urinae difficultas*, *ftranguria* nec-non ejus omnimoda *fuppreffio* a preffione uteri primis menfibus defcendentis fupra veficae collum exoritur, qualis affectus iterum poft tertium menfem utero fupra marginem offis pubis altius afcendente fponte evanefcit. Aliquando tamen fed rariffime per totum graviditatis tempus durat, cujus caufa autem tunc in retroverfione uteri quaerenda, (*k*) dum vero preffio talis ad collum veficae fe extendit urinarumque emiffio fic praepeditur, acrius fit lotium continuoque cum moleftia et ardore ftimulat ad matulam.

A fimili uteri preffione in duodenum, exitum bili denegante, vifae funt gravidae toties ictero affectae.

7) Aliquando uterus conprimit inteftina, unde alvus *tardior* fit in gravidis, excrementis accumulatis ac induratis, indeque majori conamine indigent ad exonerandam alvum, eaque de caufa.

8) *Haemorrhoidibus caecis dolentibus*, interdum fluentibus obnoxiae prae caeteris manent gravidae: quae nafci poffunt a preffione venarum iliacarum, qua impeditur fanguinis refluxus, aliorumve humorum iter ad cavam, indeque etiam fiunt.

9) *Varices pedum*, inflatio et tumor genitalium.

10) *Di-*

(*k*) *Hamilton* Abhandlung über die Hebammenkunft p. 70. *Saxtorph.* differtatio de diverfo partu.

10) *Diarrhoeae variae torminosae* subinde ex magno stimulo, majorique inde humorum affluxu intestina versus fiunt.

11) *Animi deliquia*, nascuntur saepe in gravidis a mobilitate nervorum nimia, vel a motu foetus validiori, vel etiam a mutato sanguinis circulo, dum pressio major in infimo ventre, minuit quantitatem sanguinis affluentis cor versus.

12) *Vertigines* ab eadem causa fieri possunt, nec non a plethora, quae vasa encephali nimis replet, inde retinae dimotio et apparens objectorum externorum rotatio. (*l*)

13) *Morsus ventriculi* fiunt ab acidi accumulatione, quod et foetus motu ad cardiam assurgit nervosque vellicat inde.

14) *Ructus acidi* frequentes gravidis et absorbentium desiderium.

§. 42.

Quae phaenomena circa respirationem experiuntur praegnantes, ultimo saltem gestationis tempore, scilicet *tussis* et *difficilis respiratio* per pressionem diaphragmatis pulmonumque ab utero superiora petente facile explicantur.

§. 43.

Operae pretium erit etiam pro modulo ingenii causam mutationis uteri indicatae ab initio graviditatis usque ad partum tradere, uti

(*l*) *La Mettrie* oevres de medicin traite de vertige p. 35.

uti de caeteris affectibus incommodisque hoc capite recensitis factum.

Uterus autem rebus rite se habentibus in statu haud gravido vacuus, variis modis ad varias pelvis partes annexus in situ retinetur suo, in statu gravido autem ab ovulo inpraegnato tanquam corpore haeterogeneo stimulatur, hinc affluxus humorum et praecipue sanguinis major, vasa uterina magis distenduntur, ponderosiorque ergo uterus *descendit* primis mensibus, *ascendere* vero iterum cogitur a mense tertio vel quarto ob majus ejus volumen ab embryonis incremento cavum ejus replentis, distendentisque. Tunc ergo impos se continendi in angusta pelvis cavitate diutius, ascendit non vero perpendiculariter sed oblique versus pubis marginem, quia promontorium ossis sacri ab ultima lumborum vertebra et parte ossis sacri superiori efformatum, ascendentem uteri fundum cum superficie ejus posteriori nunc convexa, tumida dirigit *anteriora* versus, ad quam directionem etiam contribuere possunt viscera abdominalia a tergo fundum uteri antrorsum prementia, facileque cedentes musculi abdominales. (*m*)

Ab hacce directione dependet *situs* orificii uteri, quod versus *posteriora* retractum tangitur, dum e contrario fundus supra *marginem ossium pubis*, manu percipitur. Quo magis denique

(*m*) Conf. cel. *Saxtorph.* erfahringen angaænde den fuldstændige födsel pars II. p. 54.

nique ovum increfcit, eo magis diftenditur uterus, quo incremento fucceffive afcendit in abdomen usque ad nonum menfem, qui terminus eft, ultra quam diftenfioni majori fere impar eft, ita ut irritabilitate et elafticitate fua ulteriori diftractione aucta in contractionem abeat partumque perficiat.

Gravidarum affectuum therapia.

§. 44.

Haec incommoda, quamvis raro periculofa, molefta tamen requirunt faepiffime medelam, praefertim, fi vehementiora, quae fi non femper curativa, palliativa tamen adhibenda eft.

1) *Vomitus* autem et *naufea* gravidarum, qui primis menfibus contingit, qui vel a plethora et mutata circulatione, vel a nervorum mobilitate oriuntur, requirunt interdum, fi non e faburra exoriuntur, venae fectionem majorem vel minorem, pro virium ratione, faepius repetitam in brachio, praefertim, quo faltus fanguinis liberior effe folet quam in pede. A copiofioribus tamen fanguinis miffionibus quales antiqui inftituebant, periculum infurgit abortus, vel faltem haud exiguum detrimentum in matris aeque ac foetus fanitatem infequitur. Diaeta praeterea tenuis fervanda eft plethoricis praecipue ultimis graviditatis menfibus, quibus ventriculi nimia repletio omni cura vitanda eft, uteri enim expanfione quotidie increfcente

 in-

inteſtina una cum ventriculo annexo, magis magisque comprimuntur, unde non mirum viſcerum chylopoieticorum actionem perturbari, digeſtionem impediri ciborum, inteſtina conpreſſa faecibus et flatus repleri, unde neceſſaria aliquando alvi ductio lenior, quin et emeſis parva inecacuanha doſi haud inutilis, ubi turget materia, in ſummo ciborum faſtidio; nec inde majus malum metuendum, ſi circumſpecte praeſcribitur, quam ex vomitionibus continuis ſpontaneis. (*n*)

Si affectus mere nervoſus fuerit, juvabit celebre *Riverii* antiemeticon, aut quot ſaepe cum fructu vidi adhibitum Laudanum liquidum Sydenhami, ſubinde tamen omnibus reſiſtit, nec ceſſat vomitus, niſi uteri ſitu mutato ad quartam fere graviditatis menſem. Semel quoque vidi cucurbitis ventri ſine ſcarificatione applicatis foeminam toto fere geſtationis tempore vomitionibus vexatam et ad omnia rebellibus a Patre ſonatam, quod et relatum habetur. (*o*)

2) *Dolores lumborum, inguinum et mammarum* etiam requirunt venae ſectionem et regimen antiphlogiſticum.

3) In *ſoda*, quae arguit acidi praeſentiam in ventriculo valet aqua calcis, creta ppta in aqua ſoluta, corrigunt enim abſorbendo ſive alterando, tum et magneſia prae aliis, nam tanquam terrae alcalinae indolis proximior,

(*n*) Hamilton loc. citat. p. 65.

(*o*) *de Meza* compend. med. pract. faſcic. 2. p. 113. et faſc. 4. p. 45.

mior, cum acido peccante in sal medium mutatur.

4) In *alvi obstructione* conducunt lenia laxantia, uti manna, cremor tartari sollubilis, electuarium aperitivum, pulpa cassiae tamarindorum, fortiora quippe purgantia in sensilioribus gravidis peste pejora fugienda sunt, tum et adornari debet Diaeta praestans sc. prunis coctis, pomis assatis vel similibus parata. Clismata haud multo sala acuata eidem scopo satisfaciunt.

Rheum vero et *lac sulphuris* etsi inter leniora laxantia et a nostratibus multum commendantur, minus tam valere quam vulgo creditur, statuendum esse puto.

I.) Ob segniorem incertumque quem praestant effectum.

II.) Ob obstructionem, alvi quam haud raro post se relinquit, qua augent causas occasionales homorrhoidum, cum inutili effectu, praeterea varia incomda producunt stimulando intestinum rectum, uti quotidiana loquitur experientia.

§. 45.

Ad urinae incontinentiam laudatur lenis alvi ductio praecedente paragrapho enarratis, corporisque quies, moderatum vero exercitium quo corpus aequaliter perspirare possit, haud vitandum.

Majori negotio perficitur opus in accidenti priori opposito, scil. *Urinae omnimoda retentione.* Requiritur etenim, ut supine jaceat in lecto gravida et propriis manubus abdo-

men elevet, dum urinam emittit, vel fascia lata ad hunc usum adaptata sustineat ventris pondus, ne vesica comprimatur, (*p*) vel et manu peritae obstetricis liberetur vesicam e matricis compressione, aliis prosit, si prono potius corpore vesicam evacuare tentant, sic enim efficitur, ut pondus viscerum abdominalium minus premat uteri fundum, (*q*) qui et iterum minus premet vesicam.

Si haec omnia frustra catheterismo prudenter applicata elicienda urina, difficilime vero succuritur orinae suppressioni, quae ab uteri retrocessione pendet. Aliquando tamen naturae viribus, increscenti uteri mole naturalis ejus situs restituitur, aut reductio lege artis ope digitorum in anum et vaginam emissorum succedere potest. (*r*)

7) *In haemorrhoidibus caecis* praeter alvi ductionem et sanguinis missionem e brachio, commendantur hyrudines ad anum, caute tamen ne gravida ob nimiam sanguinis evacuationem nimis debilitetur ante partum. (*s*) Possunt etiam epithemata applicari frigida externe, verum enim vero inde in haemorrhoidibus nimis jam tumentibus inducuntur pruritus et dolores. (*t*)

8) *Vari-*

(*p*) *Mauriceau* l. c. lib. I. Cap. XV. p. 64.
(*q*) *van Switen* comment. in aphor. Boerhav. tom. IV. p. 484.
(*r*) *Calissen* institution. chyrurg. hodiern. p. 529.
(*s*) *Smellie* collect. X. nro. 3.
(*t*) *Mangov* kort underretning om frugtsam. og Barselkon. lewemaade og pleye p. 54.

8) *Varices* fafcia circumducta et fitu pedum horizontali conprimendae, minuendae.

9) *Diarrhoeae* praeter laxantia, decoctum album vel opiata requirunt.

10) *Animi deliquia* et *vertigines* ratione caufae, vel venae fectionem vel antiphlogiftica vel opiata requirunt.

11) *Tuffis* et *difficilis refpiratio* eadem exigunt remedia.

Caput III.

De fanguifluxu uterino.

§. 46.

Haemorrhagia uteri haud immerito inter periculofiffima graviditatis atque puerperii incommoda refertur; fit enim faepe ante, fub et poft partum, quin aliquot feptimanis a partu (*u*), a variis quidem caufis mox recenfendis, minime autem confundenda cum fluxu menftruo, qui faepe recurrit toto graviditatis tempore fine noxa, dum non ex uteri cavo, fed potius ex vafculis vaginae uterinae, per preffionem tumentis extenfique uteri forfan inductus quique cum euphoria profluit (*x*) liberando nempe a plethora. Neque

(*u*) *F. L. Bang* fociet. Med. Hafn. collectanea tom. I. p. 268. et *de Meza* comp. med. pract. fafciculus IV. p. 41.

(*x*) *Hoffmann* Med. ration. et Syftemat. tom. IV. pars 3. Cap. 9. p. 623.

que etiam confundenda cum ſanguinis evacuatione copioſiori a partu ſtatim ſuccedente, vel cum lochiis copioſioribus, quae altero aut tertio a partu die ſuperveniunt; cum uteri haemorrhagia ſit ſanguinis profluvium puri, grumoſi copioſum valde, quod excipiunt valde virium proſtratio ſubita, oris pallor pulmonum celeritas exilitasque, extremorum frigus, animi deliquia ſaepiusque innopinata mors.

§. 47.

Eſtque haemorrhagia uterina vel manifeſta vel occulta, nimis vel minus violenta.

1) *Manifeſta* oculis patet ut plurimum ante ſub et poſt partum occurrit.

2) *Occulta* vero quae etiam *interna* dici poteſt qualem vidit *Buzan* (y) ſolummodo *a partu* et a ſubita virium proſtratione et tumente abdomine per explorationem abdominalem percepto cognoſcitur. Omnium eſt pericuioſiſſima, expertus loquor, ſi non ſtatim enim ei occurritur, dicto citius necat. (z)

3) *Violentae* nimis characteriſticon (a) quod ante partus determinatum tempus parvis ac ſaepe interruptis haemorrhagiis incipiat donec

(y) *Waſſerberg* faſcic. ſecund. oper. minor. et diſſertat. p. 414.

(z) Vide Diſſertation. meam inaugur. theoret. pract. varii argumenti ad artem med. et obſtetric. ſpectant. Hafn. 1783. p. 125 et 126.

(a) *Saxtorph.* plan til forøleſa ov. Iordem. videns vab. pars I. p. 102.

nec partus inſtet, tunc temporis enim doloribus partus ſupervenientibus uberrimo augetur profluvio cum mortis foetus ac matris periculo. Talem proh dolor habui caſum in praxi, quam pro ampliſſimo praeceptore *Saxtorph* ſubinde excercebam. Tribus ante partus determinatum tempus haebdomadibus, ſuperveniebat haemorrhagia ad minimum motum aucta, vocatus, per explorationem vaginalem, corpus molle ſuper uteri orificium tango; apertura enim orificii apicem digiti indicis admittebat, tres enim partus antea enixa erat foemina, dolores partus nulli, per ſitum horizontalem, quietem remedia antiphlogiſtica praecipue ſal eſſentiale tartari ad ſex grana pro doſi feliciter ceſſat fluxus. Partu vero accedente laboribusque increſcentibus iterum recrudeſcit, et ante meum ſubitaneum adventum moritur aegra.

4) *Minus violentae* characteres ſunt incipere ſub partu (*b*) neque foetui neque matri affert mortem ni vehemens valde.

§. 48.

Eo magis vero periclitatur foemina ab uteri haemorrhagia, quo partus proprior, dum omnia vaſa uteri quam maxime ſanguine diſtenta habentur, *Puzos* (*c*) teſtatur multiplici experientia ſibi conſtitiſſe raro ex uteri haemor-

(*b*) *Saxtorph* lib. antea cit. p. 108.
(*c*) *van Switen* comment. in aphoriſm. Boerh. tom. 4. p. 486.

morrhagia periiſſe gravidas, ſi quartum vel quintum graviditatis menſem non ſuperaverint, niſi alius morbus periculoſus adſit, vel neceſſarium artis auxilium defuerit. Caeterum fluor uterinus gravidarum aeque periculoſus eſt matri ac foetui, ſeparata enim placenta integra vel pro parte ab utero, interceptaque commercio mutuo inter foeminam ac prolem, abortus inaevitabilis ſequitur. Subinde quamvis raro periculoſior eſſe poteſt foetui quam matri, ſcil. dum ex ruptura vaſorum et nodis varicoſis quae obſervantur in funiculo umbilicali, fit haemorrhagia ſub partu (*d*), hic apprime quadrare illud *Hippocratis* (*e*) " ſi cui parturienti ante partum multus ſanguinolentus citra dolorem fluxus prodeat, periculum eſt, ne foetus mortuus exeat, aut minime vitalis edatur". Haemorrhagia vero, quae poſt partum invadit, maxime matri periculoſa et exitialis.

Ætiologia haemorrhagiae uterinae.

§. 49.

Praecipua haemorrhagiae uteri cauſa ante partum eſt *ſolutio* vel *ſeparatio placentae*, ſive totalis ſive partialis ab utero, praeſertim ubi in haemorrhagia violenta ad collum uteri ſupra orificium poſitae, vel uti in haemorrhagiis

(*d*) *La Motte* traite des accouch. Liv. 3. Cap. 8. obſervat. 211. p. 196.

(*e*) De ſuperfoetatione Cap. V.

giis minus violentis, ſolutio placentae in ſima uteri parte, vel uteri colli proxima adhaerentis. (*f*)

Poſſunt et praeterea eſſe in cauſis, varii errores commiſſi in ſex rebus non naturalibus, unde ſanguinis motus nimis agitatur et verſus uterum augetur. Verbi cauſa:

1) *Animi affectus vehementiores* et praeceteris ira et terror, tunc enim humorum rarefactio atque orgaſmus major fit, vel congeſtiones ad partes internas inducuntur.

2) Deſiderium rei non potiundae.

3) Motus corporis nimii ambulatio, equitatio, ſaltatio, aliaque exercitia validiora, lapſus, vectio in rheda ſuper ſtrata lapidea inaequalia, veneris abuſus, tuſſis ſternutatio per tabacum aliaque ptarmica in non aſſuetis praecipue inducta. Tuſſis, riſus immodicus, cantus, praeſertim ubi inſpiratio magna requiritur et diaphragma deorſum praemitur et in uterum nimis agit.

4) *Ponderum geſtatio.*

5) *Aër nimis aeſtuans*, dum ſanguinem rarefacit vaſaque diſtendit, ab hacque ſolito majori diſtenſione fibrae canalem conſtituentes ab invicem ſeparantur fitque tunc haemorrhagia per *diapedeſim*, aut per *anaſtomoſin* ſi lumina vaſorum horumve oſcula nimis dilatantur, vel tandem per *diaereſim* dum vaſcula diſrumpuntur et mutua ceſſat connexio. (*g*)

(*f*) Saxtorph. Lib. cit. p. 108.
(*g*) *Gaubius* inſtit. patholog. p. 85 et 86.

Nocet autem talis aër fere ſemper gravidis, eoque magis, quo magis plethoricae, tum etiam aër vaporibus et odoribus repletur.

6) *Affectiones hyſtericae* ob irritabilitatem ſummam nervorum.

7) *Emenagogorum uſus*, uti ſaepe fit in furtivo concubitu gravidis.

8) *Morboſus ſanguinis ſtatus*, ex. gr. ejus tenuitas uti in cacochymicis, ſcorbuticis vel in veneriis ope mercurialium inducta.

9) *Plethora, obſtructio alvi, vel diarrhoea dyſenteria teneſmus, fluor albus*, quae omnia irritando, diſtendendo ſanguinem derivando agunt.

10) *Cibi et potus calidi*, nam circulationem promovent orgasmumque augent.

11) *Subitum refrigerium.* Inde enim vaſa ſubcutanea ſpasmodice conſtringuntur, ſanguis interiora verſus ducitur, vaſaque diſtenduntur caeteraque antea dicta ſponte ſequntur.

12) *Compreſſio* abdominis per thoraces.

13) *Percuſſio inferioris partis abdominis*, inde divinus legislator *Moſes* (*b*) ſeveram ſtatuit poenam illi, qui gravidae mulieris ventrem percuſſerit.

14) Demum tumores variorum generum in utero.

§. 50.

Sub partu fluoris uterinis cauſa ſubinde eſt interna, ſc. ruptura vaſorum, funiculi um-

(*b*) Exodus cap. 21. v. 24.

umbilicalis brevitas, ejusve circumductio circa collum et pedes, quo foetu ſe verſus pelvim movente ſolvitur placenta ab uteri ſuperficie, ruptura totalis funis umbilicalis refertur a *Lewreto* (*i*) nec non placenta praevia.

§. 51.

Uti enim ſub graviditate et partu ex ante dictis cauſis exoritur haemorrhagia, ita etiam poſt partum varias agnoſcit cauſas breviter hic conſiderandas, quarum praecipuae ſunt ſequentes:

1) *Atoniam uteri elaſtici* in defectu contractilitatis debitae vel in toto utero vel in parte ejusdem (*k*) ſeſe exſerentem (*l*) quam obſervamus poſt partum in ſubjectis ut plurimum debilioribus contingere. (*m*) ex nimia accumulatione ſanguinis in utero ſubſtantia (*n*) vel ex praegreſſa haemorrhagia vel ex nimia uteri extenſione ultra tonum protenſa, quod in ſtatu gemellorum aut in nimia abundantia liquoris amnii aut celeriori uteri evacua-

(*i*) Samlung auserleſener Abhandlungen zum Gebrauch pract. Aerzte 4 Band. 3 Stück. p. 544.

(*k*) *Le Roux* obſervat. ſur le perte de ſang de femmes en couches et ſur le moyen de le guerir a Dijon 1776. Sect. 3. item *Flemming* de aton. uteri. Lipſ. 1776.

(*l*) Non in paralyſi quadam, uti putavit cel. Plenck. Geburtshülfe p. 204.

(*m*) Conf. *Buzos* memoires de l' acad. de chirurg. T. I. p. 358. et Traite des accouchem. p. 323.

(*n*) *Le Roux* loc. cit.

cuatione praefeſtinante verſione foetus fieri obſervamus. Qualem cauſam haemorrhagiae frequentiſſimam eſſe loquitur experientia.

Omnium primus *Levretus* (*o*) hocce uteri vitium obſervaſſe et docuiſſe creditur (*p*) quamvis longe ante eum hoc indagaverint *Chapmannus*, (*q*) *Smellie* (*r*) aliique.

§. 52.

In hac uteri nimis debilitate et flaccido ſtatu fundamentum ponitur lethalitatis, quam pleraeque experiuntur puerperae, quibus nimis cito ſolvuntur ſecundinae. Vix enim in corpore humano praeter uterum datur ullum viſcus, quod tot tantisque vaſis ſanguiferis multifario anaſtomoſi inter ſe communicantibus paſſim quoque ultimis illorum finibus in interna uteri ſuperficie et in ſecundinis ipſis hiantibus repletum ſit, neque in tantam molem ulla corporis pars naturaliter extenditur, quam ſub graviditate dilatatur uterus (*s*); hujus ergo incremento poſt conceptionem

(*o*) Suite des obſervations.

(*p*) Memoires dans le VIII. Tom. de l' academie de chirurg. p. 150.

(*q*) Hebammenkunſt Cap. IV. p. 60.

(*r*) *Smellie* l. c. Tom. 1. p. 438. *Bourton* ſyſtem. edit. Gallic. p. 487. Nota. l' atonie (inquit) de la matrice eſt la cauſe la plus commune et en meme temps la moins obſervées de pertes qui ſuivent l'accouchement, l' enfant et le placenta etant ſortis, la matrice reſte ſans reſſort, elle ne ſe contraite point.

(*s*) Hinc dixit *Hippocrates* : ubi in utero mulier gerit

onem volumine ita augentur vaſa uterina praeſertim in iſto loco, quo irradicata eſt placenta (*t*) ut a craſſitie fili tenuioris, quam habent in ſtatu naturali, ſenſim ſenſimque verſus finem graviditatis expanduntur, ut apicem digiti per oſtia illorum facile introducere valeas, quam diu jam ſecundinae haerent inſolutae, tamdiu epiſtomii inſtar obturant orificia vaſorum uteri, ſubito vero ſi ſolvantur aut extrahantur absque praegreſſa uteri et vaſorum debita contractione per aperta illorum lumina neceſſario ruit ſanguinis tanta copia ut proportionata inde ſequatur haemorrhagia, foeminam ſaepe ad mortem debilitans.

2) *Partus nimis acceleratus* in quo integrum ovum absque praegreſſa velamentorum ruptura aut effuſione liquoris amnii ſimul cum foetu uno quaſi ictu, tempore juſto breviori ejicitur (*v*):

Hocce enim partus genus, quod a multis pro feliciſſimo habetur, portendit eventum puerperae ſemper periculoſum, imo ſaepe infauſtum, quia in hoc uteri parum contracti ſtatu, ex orificiis vaſorum ſecundinarum remotione ſubito patentibus tanquam e pleno rivo promanat ſanguinis tanta copia uterum ſuc-

rit paulatim a toto corporis ſanguis in uterum defertur et in orbem, id quod in utero eſt circumſiſtens ipſum auget. De morb. mulier. Lib. I. Cap. 23. Tom. VII. p. 714.

(*t*) *De Leurye* Traite des accouch. §. 1004.

(*v*) *Saxtorph* Plan etc. Pars I. p. 79.

ſucceſſive debilitans, ut nullam contractionis vim et potentiam ulterius retineat, hinc ad mortem usque puerperae, niſi debitum cito adhibeatur auxilium, continuat ſanguinis profluuium.

3) *Nimis violenta ſecundinarum avulſio* praefeſtinante extractione ab obſtetrice peracta, cauſam eximiae haemorrhagiae poſt partum contingentis ſaepius praebuit. (*x*)

§. 53.

Antiquiores, uti *Mauriceau*, quemadmodum etiam inter recentiores de *Chauſepie* aliique commendant cito poſt foetus excluſionem extrahere ſecundinas, ne orificium uteri ſubito ita claudatur, ut remaneat placenta; anſam horum doctrina praebuerunt accelerandi extractionem placentae quocumque etiam modo perfici potuiſſet ſaepeque ſedula arte; in damnum parturientis ita avulſionem ſecundinarum, antequam uterus ſeſe conſtringere inchoaverit, molitae ſunt obſtetrices, ut graviores inde exortas fuiſſe haemorrhagias poſt partum, recentiorum obſervationes teſtantur. (*y*)

Etenim violenter deſtruendo connexionem ſecundinarum cum utero facile dilaceratur

(*x*) *Dionis* Traite general. des accouch. a Liege 1761. p. 331. ſimiliter *Crantz* Einleitung cap. 5. p. 30.

(*y*) Hoc luce meridiana clarius demonſtravit cel. *Henkel* 7 collect. obſervat. p. 1. et ſeqq. nec non *Smellie* collect. of caſes and obſerv. on midwyferie.

tur ſimul interna uteri ſuperficies, cujus laeſione nova exoritur cauſa haemorrhagiae uteri, quae eo periculoſior eſt, quo minus uterus in anteceſſum contractus fuerit.

4) *Placenta ſemi ſoluta* et in utero remanens cauſa haemorrhagiae majoris vel minoris, prout major vel minor eſt uteri extenſio et ſolutio placentae. Hanc ob cauſam poſt gemellorum et magis adhuc poſt trigeminorum partum, ubi ſumma fuerit uteri expanſio triſtiſſimum hoc malum ſaepius contingere obſervatur.

5) *Corpora aliena* poſt partum utero incluſa, qualia ſunt variorum generum molae fruſtulae placentae dilaceratae (z) poſt rudem extractionem ſecundinarum, vel coagula ſanguinis, linteamina inepte utero introducta et alia ſimilia, quae iritatione partim alliciunt humores verſus uterum, partim contractionem illius impediunt, quibus haemorrhagia ſolutis ſecundinis ſummo impetu continuat.

6) *Disruptis vaſis membranae deciduae Huntheri* placenta quamvis utero adhaereat annexa, haemorrhagiam tamen ſimiliter lethalem obſervavit cel. *Pote*, ſimilem quoque annota-

(z) In nonnullis tamen ſubjectis, ubi nulla adeſt uteri atonia circa tales placentae reliquias contrahitur uterus illasque per longum tempus absque ulla haemorrhagia inſequente retinet, donec ſub forma varia et nomine ovorum ſpuriorum utero expelluntur: conf. *Saxtorph* plan til foreoleſning: it. *le Roux* l. c. Sect. 2.

notavit *Albinus* inter placentam et uterum ex disruptis vasis occulte fieri. (*a*)

7) *Omnia, quae motum corporis animique in plethoricis nimium excitant*, sanguinemve nimis calefaciendo et expandendo agunt, rupturam vasorum in utero facile efficiunt, qua haemorrhagia exoritur. Talia sunt verbi causa: alimenta vel medicamina aromatica spirituosa calefacientia aut uti interdum vocantur, pellentia, calidus et inquinatus aër, congregatio multorum hominum in arcto cubiculo, deinde tussis, sternutationes, vomitus et similia §. 49. enumerata, quae antiqui ad promovendas secundinas excitare solebant, similiter animi pathemata vehementiora, uti terror (*b*) ira et similia, quibus ob spasticam peripheriae stricturam versus viscera interna et uterum, impetu majori ruit sanguis rupturam vasorum teneriorum producens.

8) *Uteri inversio* quam vel ex praecipitatione nimia, partus naturaliter contingit, vel prava enchireisi artificiali obstetricis (*c*) eo tempore producitur, quo inepte funiculus tenditur et fortiter attrahitur, ante inceptam in utero contractionem.

9) *Uteri ruptura*, cui ut plurimum non sequitur magnus fluxus sanguineus per genitalia,

(*a*) vide *Leake* praktische Bemerkung über Krankheiten der Kindbetterinnen und Schwangern. Uebersetzt. Leipz. 1775. p. 175.

(*b*) Conf. *Salmuth* obs. med. Centaur. III. observ. 49.

(*c*) Vide *Saxtorph* plan. til Foreloesning.

talia, quia ſanguis in ipſo abdominis cavo potius ſeſe evacuat, ſupra inteſtina accumulatur, ita ut minus oculis manifeſta haec haemorrhagia, quamvis periculoſiſſima, reddatur. (*d*)

§. 54.

Siquidem non ſemper manifeſta eſt haemorrhagia uterina (*e*), hinc ex copia et quantitate affluentis ſanguinis non dijudicanda eſt (*f*), ſed ex ſymptomatibus debilitantibus ratio ejus habetur. Rite enim in praelectionibus ſuis demonſtravit ampl. praeceptor *Saxtorph*, lochia non ſemper una eademque quantitate in omnibus ſubjectis, ſed in nonnullis majori, in aliis minori copia manare, adeo ut ſola virium integritas unica ſit menſura, ſecundum quam illorum juſta et proportionata quantitas determinetur; hinc, quamdiu nulla adſunt morboſa ſymptomata, tamdiu perinde eſt in puerperis, ſive lochia ſunt parca ſive abundantiora, ſimiliter ſe habet cum haemorrhagia periculoſa, partum ſequente; haec nunquam dijudicanda eſt ex quan-

(*d*) Conf. *Crantz* de utero rupto. it. *Steidele* Nachtrag zur Samlung merkwürdiger Beobachtungen von der in der Geburt zerriſſenen Gebährmutter.

(*e*) Uti rite monuit cl. *Buſſan.* vide ant. cit. *Waſſerberg* faſcic. 2. op. minor. et diſſert. p. 414.

(*f*) Differunt authores multum in determinanda quantitate ſanguinis lochiis evacuandi. *Smellie* ſtatuit quinque libras, *Guillemeau* 6 vel 7 libras et ſic porro.

quantitate, quia ſaepe magna eſt et periculoſa, quamvis per vias naturales ſeſe non manifeſtat, ſed occulta intra uterum manet, ita, ut ejus praeſentia ſolummodo dignoſcatur ex ſubita virium proſtratione, tumore et inflatione abdominis attactu mollioris, praeſentia, convulſionum et quantitate glebarum ſanguinearum in cavo uteri contentarum, quas manus, in utero introducta, ſola indagare valet.

Peragenda in ſanguifluxu uterino.

§. 55.

Pro triplice haemorrhagiae uterinae ſpecie, triplex etiam requiritur medela, dum alia erit in haemorrhagia gravidarum, alia in haemorrhagia parturientium, alia demum in haemorrhagia puerperarum.

A) *Haemorrhagia, quae diu ante partum fit,*

1) poſtulat *venae ſectionem revulſoriam*, ſi nempe aegra non nimis debilitata a ſanguinis uterini profluvio, nec grumi ab utero exeant, aut indicia adſint placentae ſolutionis.

2) *Methodum antiphlogiſticam*, refrigerantem animi corporisque quietem, aërem frigidiusculum, diaetam talem, vitatis vinoſis calidisque juribusque meracis carnium: corporis leviter ſtragulis tecti ſitum horizontalem, potionem aquae frigidae.

3) *Opium* a quamplurimis laudatum in valde plethoricis et ubi ſanguinis orgasmus, aeſtusve major, incertum ac infidum habendum

dum remedium; et non niſi ubi inevitabilis abortus metuendus, a doloribus ſpuriis in veros tranſituris aut ſpasmis, nec non ubi vexat tuſſis inanis, praegreſſa ſemper parva ſaltem ſanguinis artificiale evacuatione cum cel. archiatris *Gulbrand* (*g*) et *Staskow* (*h*) exhibendum puto, et cum iisdem expertus laudo uſum eſſent. aurantior. et acid. vitrioli.

4) Bonos aliquando vidi effectus ab exhibito *Sale eſſentiali Tartari*, et quidem in illis, quae ob tuſſim et pectus infirmum acidum non ferre potuiſſent vitriolicum.

5) In debilioribus ſanguinis miſſione omiſſa, *analeptica replentia roborantia*: uti ſunt Cortex peruvianus, chalybeata addito nitro vel alio refrigerante, ne a reſinoſis corticis particulis et aphlogiſtico martis orgasmus major inducatur.

6) *Parvae doſes radicis ipecacuanhae* cum ſaccharo ab Anglis praecipue commendatae et externa abdomini frigida applicatio omnem adimplent paginam in levioribus haemorrhagiis gravidarum compeſcendis.

§. 56.

B) *Haemorrhagia, quae fit inſtante partu*, poſtulat.

1) *Promptam membranarum ruptionem.*

2) *Foetus citiſſimam extractionem*, quod tamen placenta non praevia, aliquando vix

 ne-

(*g*) Specim. inaugural. de ſanguifluxu uterin. p. 77.
(*h*) Acta ſocietat. med. Hafn. p. 49.

neceſſarium eſt, nam poſt aquarum effluxum, contrahitur uterus ceſſatque haemorrhagia, ſi vero praevia erit placenta, requiritur, infantis verſio atque extractio, tali praecautione tamen, ut manus paulatim illum in locum, ubi ſolutio eſt, introducatur, ſi hoc enim perfunctorie aut indifferenter fit, facile major placentae ſolvitur pars augeturque haemorrhagia.

§. 57.

C) *Tertia demum haemorrhagiae ſpecies*, quae poſt partum ſaepe cum parturientis vitae periculo fit, varias requirit medelas pro varietate cauſae, e qua oritur.

I. *Quae ex atonia uteri exoritur*, optime praecavetur.

1) *Faſciis latis*, totum abdomen circumdantibus, quibus cingulique adinſtar poſt partum leniter conſtringitur, ſeu potius corroboratur flaccidum abdomen, huicque ſubjectus uterus iners.

2) *Lenta et naturali ſecundinarum ſolutione*, dum placenta cum reliquis ſecundinis uteri affixa haeret fundo, nam quo citius in contractionem abeat uterus, robur et fulcimen ei concilias, e contrario ſi in ſtatu uteri inertis, placenta ſubito removeatur vel ſponte ſecedat, mortem inopinatam ſequi non rarum eſt, hinc regula cel. *Levreti* (*i*) probe eſt

(*i*) *Lewret* Kunſt der Geburtshülfe 2 Tom. p. 21. et 173.

eſt annotanda, quam non ſatis auditoribus ſuis inculcare potuit cel. *Saxtorph* (*k*) quod nunquam ſecundinarum extractio molienda ſit, antequam uterus globi duri adinſtar ſupra pubim tangatur, vel dolores poſt partum de novo inſurgerint (*l*) et levis appareat haemorrhagia, factam placentae ſolutionem indicans.

§. 58.

Si tamen in hoc uteri ſtatu ſponte vel arte prava ſoluta fuerit placenta, ocyus citius educenda eſt primum ex utero inerte, et deinde uterus debito modo ad contractionem ſollicitandus. Media vero huic ſcopo ſatisfaciendo tutiſſima et promptiſſima ſequentia ſunt:

1) *Compreſſiones externae* ſupra abdomen manibus ambabus citiſſime factae, quibus interdum ita comprimuntur vaſa meſeraica et truncus aortae deſcendens, ut ſanguinis tardior fluxus ab encephalo ad uterum fiat, quo lipothymia periculoſa praecaveatur et haemorrhagia innoxius fiat, donec uterus hoc

E 3 reme-

(*k*) In praelectionibus ſuis, uti etiam act. ſocietat. med. Hafn. p. 158. conf. *Aëpli* von der ſichren Zurüklaſſung der Nachgeburt in beſtimten Zufällen. Zurich.

(*l*) Dolorum poſt partum inſequentium praeſentia pro optima nota activitatis uteri habet *Saxtorph* eorumque defectus ſignum eſt uteri inertiae.

remedio ſuffultus novas recuperaverit vires ad contractionem ſibi ſufficientes. (*m*)

2) *Frictiones externas*, quibus ad contractionem ſibi ſufficientes, una cum utero ipſo facilius ſtimulatur abdomen, commendavit imprimis *Plenckius*.

3) *Frigida applicata* abdomini conveniunt, qualia ſunt: aqua frigida ſuper abdomen effuſa, aut acetum frigidum ſimili modo, vel lintea hiſce liquoribus frigidis imbuta circa totum abdomen et lumbos circumjecta, totiesque repetita, quoties frigus aliquantulum remiſerit.

4) *Aër frigidiusculus* corporis peripheriam ambiendo mire reficit in haemorrhagia; hinc per feneſtras et januas prudenter renovandus et admittendus eſt, ne nimio cubiculi aut lecti calore incitatus, fluxus ſanguinis augeatur.

5) *Ligaturas extremitatum inferiorum* commendarunt veteres in haemorrhagia uteri ſiſtenda poſt partum, quamvis illarum ex mea ſententia minus tutus eſt uſus, comprimendo enim venas, ut retardetur ſanguinis motus, ne nimis celerior et copioſior adfluat auriculam dextram, eo ipſo comprimuntur ſimul arteriae crurales, hinc ſanguinis curſu impe-

(*m*) Efficaciſſimum hocce remedium primum commendavit cel. *Saxtorph.* in collect. Haf. vol. 1. p. 328. idem commendat *Daſſe*: journal des ſcavans 1772.

impedito in arteriis majoribus, celeriori impetu movetur per collateralia vaſa, quorum propagines ſunt illae arteriae, quae pelvi et utero proſpiciunt, unde ex mea opinione augetur potius ſanguinis fluxus per uterum, quam retardatur hocce remedio; idem quotidiana monſtrat experientia, quando medici in obſtructione menſium faſciis circumdant crura, non raro menſtruatio ſuccedit.(*n*)

6) *Injectiones liquorum frigidorum*, uti aquae gelidae (*o*) vel aceti frigidi ſiphone peracta. Hocce enim remedium frigore et impetu et aquoſitate ſua leniter ad contractionem ſtimulat uterum, glebas ſanguineas, contractionem impedientes diluit et mobiles reddit, frigore conſtringit vaſa, impetu uterum ſollicitat. Hocce ſolo remedio aliquoties repetito non ſpretis caeteris ab orci faucibus multas ereptas fuiſſe vidi. Hinc teſtis et ſuaſor ſum hocce ſumma cum utilitate cito et tuto in haemorrhagiis gravioribus ex utero adhiberi poſſe. (*p*)

7) Longe minoris utilitatis et incertioris eventus puto eſſe *linteamina pulvere vel liquori-*

(*n*) Conf. *Hamilton* Edinb. phyſic. and litterary Eſſays. Vol. II. p. 403.

(*o*) Conf. *Levret* ſuite des obſervations art. 10.

(*p*) Cel. *Levretus* cum ad manum nil aliud habuit, opem cito ferebat puerperae ſanguine proprio natanti in platea turundam glacialem e tectis pendentem immittendo in utero, quo celeriter contrahebatur et fluxus ceſſavit.

bus utcumque stypticis inserta, introducere in uterum, uti cel. *Hoffmannus* suasit, qui lintea carpta solutione vitrioli imbuta intrusit in uterum. Alii aquam aluminosam aut tenuem solutionem colcotharis vitrioli, simili scopo adhibuerunt. Pulvere crepitus lupi linteaminibus insperso haemorrhagiam sedavit agyrta (*q*) et gangraena uteri insecuta est. Hinc omnibus remediis in utero inferendis aquam frigidam palmam praeripere usu et experientia edoctus sum. Hoc enim spasmum periphericum in utero excitat absque timore adstrictionis vasorum absque incommodo, quod sentit operator in introductione linteorum (*r*) absque ullo dolore puerperae et sine omni impedimento contractionis, quam corpora haec aliena implendo uterum efficere solent. (*s*)

8) Quodsi vero corpus quoddam peregrinum praeter aquam gelidam in utero inferen-

(*q*) Vidit hunc casum cel. *Saxtorph.* et praelectionibus hunc enarravit.

(*r*) Obstructionem vaginae ope turundae, quam in hoc casu commendat *Plenckius* elem. art. obstetr. p. 133. vix utilem esse nisi adsit haemorrhagia vaginalis credo.

(*s*) Scio equidem cel. *le Roux* longe aliam favere sententiam praeferendo linteamina convoluta aceto imbibenda uteroque intrudenda, quae tamen longe tardioris sunt effectus et potius inter causas contractionem aliquantulum impedientes quam promoventes referenda, ne dicam de majori irritatione, quam excitant in utero maxime sensibili et ad inflammationem satis prono.

rendum ſit, optimum et promptiſſimum ſit *manus ſola*, quae leniter uterum titillando contractionem ejus manifeſtam ſaepe producit (*t*); Haec igitur eo ſcopo immiſſa tamdiu retinenda eſt in utero, donec manifeſtam ejus contractionem et manus compreſſionem perſenſerit operator.

9) *Balneo frigido* immergere puerperam (*u*) noxium eſſe puto; hoc enim remedio ſpaſtice contrahuntur vaſa cutis, quo ſit, ut ſanguis majori impetu verſus interiora et ad uterum moveatur, unde ſanguifluxus gravior evadat, ne dicam de periculo e motu corporis ſequente, quando balneo immittendum eſt.

10) *Corporis ſumma quies, animique tranquilitas*, prae omnibus in uteri haemorrhagia graviori commendanda eſt.

Situs in lecto extenſus horizontalis obſervandus eſt, frigido hauſtu aliisque refrigerantibus remediis antea §. 55. enumeratis reſocillanda eſt aegra.

§. 59.

II. Quodſi vero haemorrhagia uteri ortum trahat *ex partu praeſeſtinato*, omnimodo ſub partu, ipſa praevenienda eſt,

1) *circa abdomen leniter faſcias imponendo*, quae poſt partum celeriter conſtringuntur,

2) *methodo a cel. Puzos laudata* disrumpendo nempe velamina ovi, antequam plenarie

 aper-

(*t*) Vide *Hamilton* l. c. p. 188.
(*u*) Conf. *Plenck* Anfangsgründe p. 206.

apertum fuerit orificium uteri, ut aqua diffluat et uterus contrahatur, vel etiam

3) *Reſiſtentiam* ad aperturam pelvis inferiorem digitis manuque faciendo modo, quem in praelectionibus expoſuit ampl. *Saxtorph.* (*x*)

Poſt partum vero praecipitatum mox removere oportet placentam ſolutam, ne corporis alieni adinſtar, impediat contractionem et adhibere remedia nuper in vera atonia uteri laudata. Similia obſervanda veniunt in partu artificiali verſione foetus accelerata, ut nempe foetus pedibus primum apprehenſis admodum lente ipſorum dolorum vi potius exprimatur, quam feſtinanter extrahatur.

§. 60.

III. Haemorrhagia, quae exoritur ex *violenta ſecundinarum evulſione*, qua vaſa connectentia disrumpuntur, facile praecavetur expectando juſtum expulſionis tempus, donec adeo ſeſe contraxerit uterus, ut nullus amplius haemorrhagiae metus ſit, quod ex contracti uteri forma globoſa et duritie, integumenta abdominalia tangendo, uti etiam praeſentia dolorum novorum poſt partum et ſanguinis incepto fluxu facile dignoſcitur, tollitur vero facile haemorrhagia haec gelidorum applicatione tam in abdomine, quam in utero ipſo.

§. 61.

IV. *Quando e ſolutione placentae totali vel partiali*, vel e corporibus alienis utero contentis, exori-

(*x*) Vide Plan til forelaesning. etc.

exoritur haemorrhagia, ſtatim haec manu eximenda ſunt (y) antequam tentetur aliis remediis uterum in contractionem ciere, maxime ad hoc attendere debet practicus in caſu occultae haemorrhagiae, quando coagula ſanguinea ita collum uteri obturant, ut nullus effluxus ſanguineus conſpiceatur, quamvis ex ſignis debilitatis et abſentia globi uterini ſupra pubim dijudicamus haemorrhagiam adeſſe, ſola remotione harum glebarum manu facta haemorrhagias tales ſedatas fuiſſe vidi. (z) Si vero de novo colligerentur et uterum iterum extenderent, inquirendum eſt

(y) Hanc methodum eximendi ſtatim a partu ſemiſolutam placentam in duabus puerperis infauſto cum eventu tentavit cel. *Plenckius*; hinc aliam ex mente ejus tutiorem nobis propoſuit; larga nempe doſi tincturae Cinnamomi, interne danda, haemorrhagiam ſiſtere, hocce remedio ad duo cochlearia majora una vice ſumpta ita ſuſtulit haemorrhagiam, ut placenta ſemiſoluta deinde ſponte ſeceſſerit. Non pari fortuna in hisce regionibus hocce remedium nobis ſucceſſit, cum contrario allata a me methodus nunquam fefellit. An non potius frigidorum externa applicatio et internas injectiones, quibus ſimul uſus eſt, medelam effecerunt? praeterea dubium aliquod occurrit, quantum virtutis tincturae cinnamomi attribuendum ſit, quantumque lapidi haematididi, ſaltem noſtra experientia non ſufficit ad hoc rimandum, quamvis ſaepe hoc remedium minori cum ſucceſſu in haemorrhagiis uterinis exhibuerim.

(z) Idem teſtatur cel. *Le Roux* l. c.

eſt ſimul, annon ſitus uteri ad hanc accumulationem ſanguinis congrumati occaſionem praebet: quod obſervamus fieri in iis, quibus nimis laxum et propendulum eſt abdomen, ita ut fundus uteri quam proxime oſſibus pubis adjaceat collumque verſus os ſacrum pondere uteri ita comprimitur, ut per orificium ejus lochia promanare nequeant. (*a*) Tali tunc in caſu praeter remotionem congrumati ſanguinis, faſcia ſublevandum eſt pendulum abdomen, fundusque uteri tali cingulo moderate abdomen circumdantem in juſtum ſitum redigendus eſt, ut via lochiis aperta ſervetur.

V. *Quae vero ex diſruptis chorii vaſis* inter uterum et placentam ipſam contingit haemorrhagia, vix alio modo ſiſtenda eſt, quam cito eximendo placendam et remediis frigidis uterum contrahentibus utendo.

VI. *Quae ex plethora vera vel ſpuria* ortum habet haemorrhagia, remediis internis antiphlogiſticis, venae ſectionibus parvis et repetitis in brachio, quin imo ſi magnus ſimul adſit erethismus in utero, vel ſi ira nimia commota fuerit plethora opiatis ſiſti poteſt. (*b*)

§. 62.

(*a*) Conf. *De Leurye* l. c. §. 1021.
(*b*) *Hamilton* Hebammenkunſt. Leipz. 1782. p. 187. *Le Roux* commendat ſimiliter opiata ad ſiſtendas haemorrhagias uterinas, quae nimia vaſorum vibratione et irritatione, quin imo ex inaequali uteri contractione exoriuntur.

§. 62.

VII. *Quando ab inverſione uteri* exoritur haemorrhagia, ante omnia citiſſime reponendus eſt uterus, fundum nempe manu digitisque caute et ſecundum axin pelvis repellendo illumque tamdiu manu immiſſa retinendo, donec adhibitis interea remediis in atonia uteri antea dictis circa manum contrahitur. (*c*)

VIII. *Haemorrhagia e ruptura uteri* orta qualem optime deſcripſerunt viri egregii *Crantz* (*d*) et *Steidele* (*e*) minus eſt periculoſa, quam laeſio ipſa uteri, hinc ejus medela tentanda eſt, manum introducendo et retinendo in utero tamdiu, donec illius ſtimulo circa hanc uterus fortiter contrahitur.

Haec ſunt praecipue remedia, quae in periculoſis haemorrhagiis uteri pro ratione cauſarum et temporis mox applicanda ſunt.

(*c*) *Thebeſii* Hebammenkunſt p. 461. et ſeqq. modum hoc exigendi perfectius expoſuit ante citatus *le Roux*.

(*d*) De rupto in partus doloribus a foetu utero. Lipſ. 1756.

(*e*) *Steidele* Beobachtungen von der in der Geburt zerriſſenen Gebärmutter. Wien 1774.

Caput IV.

De Partu.

Species partuum eorumque divisio ab antiquioribus et recentioribus.

§. 63.

Actio in corpore humano, cujus ope foetus movetur, ad sui exclusionem per partes genitales dicitur *partus*. (*f*) Qui ab antiquioribus minus apte dividitur in naturalem, praeternaturalem agrippam, violentum, abdominalem et caesareum; vel ab hodiernis 1) ratione temporum et 2) ratione eventus.

a) *Ratione temporum* dividuntur in 1) tempestivos et 2) intempestivos.

b) *Ratione eventus* in 1) inpossibiles et 2) possibiles.

Characteres horum partuum.

§. 64.

I. *Naturalem* vocant, quando caput praevium est, quod generaliter loquendo non ita verum, dum quam maxime dependet, teste experientia testeque *Saxtorphio* (*g*) ex justa capitis proportione ad pelvim hujusceque vicissim ad caput. Hinc patet error *Hippocratis*, qui

(*f*) *Saxtorph* plan til forelaesning. pars I. p. 12.

(*g*) Differt. inaug. de diverf. partu p. 14.

qui partum uaturalem vocat, ubi foetus ſe offert capite praevio, jubetque foetum transverſim ſitum in caput locare, ut naturalis fiat partus.

II. *Praeternaturalis* dicitur, quando foetus perverſe ſitus, id eſt, caput non praevium. ſed jam praecedenti paragrapho innotuit, naturalem authorum partum, praeternaturalem variis de cauſis fiere poſſe.

Vel uti *Smellie* (*h*) *violentum*, ubi requiritur foetus inverſio, embryulci ope, quod manus vi in uterum perficitur, praeſertimque ſi ruditer nimis a minus excercitato celebratur, experientia vero quotidiana docet, nullam inde fieri violentiam nec matri nec foetui, ſi rite ſecundum artis regulas inſtituitur.

A quibusdam etiam *artificialis* dicitur, apteque magis.

III. *Abdominalis* vocatur, ubi perciſſo ſolummodo abdomine foetus extrahitur; hic equidem *violentus* dicendus, raro vero, ſi unquam laus adhibita ſit Deo, noſtris temporibus celebratur.

IV. *Caeſareus* vocatur, ubi abdomen ſimul cum utero perſcinditur ad extrahendum foetum.

V. *Agrippa* demum, ubi foetus ſeſe offert pedibus praeviis.

§. 65.

(*h*) Treatiſe on the Theor. and. pact. of midwyfery p. 125.

§. 65.

Melius procedit partus divisio a recentioribus instituta, inter quas palmam p-ae caeteris mihi videtur arripere illam, quae habetur apud cel. *Saxtorph* (*i*) sc. ratione temporis et ratione eventus, uti supra dictum.

I. *Ratione temporis* enim dividitur in tempestivum et intempestivum.

a) *Tempestivus* vel maturus autem est, qui fit circa quadragintam graviditatis hebdomadem.

b) *Intempestivus vel praematurus*, dum ante foetus perfectam maturitatem, qui vel accidit inter septimum et nonum et *nimis praematurus* audit (*k*), vel inter tertium et septimum mensem, quando *abortus* dicitur.

II. *Ratione eventus* dividendus partus in possibilem et impossibilem.

a) *Possibilis* iterum est perfectus ordinarius vel naturalis, acceleratus, protractus, et difficilis.

b) *Im-*

(*i*) Vid. Plan til forelesning. p. 12. ejusque dissertat. inaugural. p. 6 et 7.

(*k*) Vitalis potest esse foetus septimo mense editus, mulieres, quae gemelli in utero gerunt, ut plurimum maturius pariunt familiam integram novit *de la Motte* (vid. traite des accouch. Lib. I. Chap. 28. p. 122.) cui mos erat septimo mense semper partum excludere, nec audiendus est *Hippocrates*, qui denegat vivendi jus partui octimestri. talem partum vitalem novit *Mauriceau*, etiam et ego talem novi.

b) *Impoſſibilis* erit vel per ſe vel per accidens.

I. *Perfectus autem vel naturalis* mihi optime diffiniri videtur, qui nono graviditatis menſe ſolari, ſponte cum genuinis laboribus absque matris vel foetus periculo abſolvitur, foetusque haerente ſecundum longitudinem uteri axis ejusque capite ſolummodo totam pelvis aperturam ſuperiorem replente, facie oſſis ſacri lateri fontanellaque poſteriori lateri oſſium pubis oppoſito obverſa.

II. *Acceleratus*, quo cum laboribus vehementioribus absque gradatione creſcentibus auctisque nimis violenter foetus quin ovum integrum, magno et matris et foetus periculo expellitur.

III. *Protractus* determinato quidem tempore ſupervenit, ſed praecedenti contrario fit modo, lento ſc. gradu procedente labore nec citra utriusque periculum.

IV. *Difficilis vel durus* eſt partus, qui determinato quamvis tempore ſuccedit, cum doloribus ſpuriis inordinariisque nec ſine accidentibus inconſuetis matri aeque ac foetui periculoſis ſponte quidem perficitur.

V. *Partus impoſſibilis per ſe* authoribus perverſus dictus, praecedenti quidem procedit modo, niſi quod nunquam caeteris paribus propriis naturae viribus ſed artis tantum moliminibus peragitur.

VI. *Impoſſibilis per accidens* ſc. quando haemorrhagia, convulſiones, gemelli ſimul adſunt

ſunt, vel etiam ſi ovum extra uteri cavitatem poſitum. In ultimo caſu convenit cum antiquiorum abdominali partu.

§. 66.

Dantur et partus *ſerotini*, qui poſt decimum et undecimum (*l*) menſem.

Decimeſtres partus ſaepius fiunt, et apud *Hippocratem* (*m*) longiſſimum ſtatuitur naſcendi tempus. Obſervarunt tales partus *Mauriceau Roederer*. De partu decimeſtri ſic habet *Virgilius*.

Matri longa decem tulerint faſtidia menſes.

non omnibus ergo idem eſſe naſcendi tempus, ſed plerumque fieri tribus jam dictis menſibus comprehenditur hoc diſticho (*n*):

Inſolet ne mulier decimo menſe parere?
Pol nono, quoque ſeptimo atque octavo.

§. 67.

Omnibus hiſce partus ſpeciebus liceat adhuc unum addere, *partum nempe inſolito modo* peractum, eſt enim talis, qui caeteris paribus, per ſe impoſſibilis eſt, tamen vel ob par-

(*l*) Foeminam bonis ac honeſtis moribus non ambigua pudicitia in undecimo menſe poſt mariti mortem peperiſſe refert Aul. Gel. noct. attic. l. 3. cap. 15. p. 103. plures ſimilis, caſus recenſet *de la Motte* l. c. cap. 28. p. 128. confer et *Arnold* tract. de partu ſerotino ſc. 324 dierum.

(*m*) De natura pueri.

(*n*) Aul. Gel. l. cit.

parvitatem foetus, vel ob pelvis nimiam amplitudinem ſubinde feliciter ſponte perſolvitur. Tres mihi occurerunt ex hac ſpecie, in uno brachium ad axillam usque extra genitalia pendebat, in altero ſitus erat transverſus, in tertio clunes praeviae. In priori et in ſecundo verſionem neglexerat obſtetrix, protractoque tempore fieri non potuit ob aquae diu effluxionem contractionemque uteri circa foetus corporis, in tertio partus acceleratus erat, ſic ut exploratione facta jam extra genitalia prodierant nates. (*o*)

Ætiologia horum partuum.

§. 68.

Dum vero cauſae et impedimenta partum remorantia, accelerantia, laborioſum impoſſibilemque reddentia, varia et multiplicia admodum ſunt; et vel in matre, utero, pelvi, vel in foetu, funiculo umbilicali, placenta, membranis et liquore foetum circumdantis, vel in aliis ſeorſim ſeu ſimul concurrentibus, quaerenda, rite quidem deſtinguenda veniunt.

I. *Cauſae ergo accelerati partus* ſunt:

1) Dolores vel labores nimis vehementes.

 2) Ori-

(*o*) vid. Diſſertat. meam inaugural. theoret. practic. varii argumenti ad artem medendi et obſtetricandi ſpectantis XXIX April, 1783. Hafn. Pars medic. p. 46. Clar. *Roggert* etiam talem videre contigit partum. vid. collect. ſociet. med. Hafn. tom. I. p. 356 et ſeqq.

2) Orificium cito nimis dilatatum.
3) Pelvis latitudo ſolito major.
4) Foetus ſolito minor.
5) Tunicarum foetum circumdantium tenuitas.
6) Situs ſive foetus ſive uteri perfectus ſimul concurrentes.

II. *Partus protracti cauſae eſſe poſſunt.*

1) Dum mater juvenis, (*p*)
2) Vel primipara. (*q*)
3) Vel dum jam aetate major et grandaeva. (*r*)
4) Dolores non ſatis validi. (*s*)
5) Liquoris amnii copia. (*t*)
6) Aquae ante tempus effluxae. (*v*)
7) Craſſities tunicarum.

8) Fu-

(*p*) ob genitalium anguſtiam et ſenſibilitatem.

(*q*) ex puerperio quam maxime laborare primiparas effatum eſt *Hippocratis*, atque id non ſemper verum eſſe teſtatur experientia quotidiana, ſunt enim quae primum partum facillime abſolvunt, inſequentes poſtea difficilius laborioſusque.

(*r*) ob partium majorem rigiditatem.

(*s*) ob matris debiles vires.

(*t*) nam hinc debilitatur uteri vis contractilis.

(*v*) unde uteri ſiccitas, ſenſibilitas, ſolet equidem in quibusdam duabus vel tribus ſeptimanis ante partum effluere, quod tamen ab artis magiſtris *profluvium aquarum ſpuriarum* dicitur, dum origo ignoratur, quamdiu liquor amnii velamentis adhucdum incluſus partu accedente tactu percipitur, ſed forſan ex ruptura tunicarum in parte ejus ſuperiore fundum uteri ſpectante talem profluvium ſuum debent natalem.

8) Funiculi umbilicalis brevitas.
9) Nativi vel accidentales tumores.
10) Herniae.
11) Prolapſus uteri.
12) Morbi pectoris, phtiſis et alii morbi ad reſpirationem partium inſervientium, uti gibboſitas. (*x*)
13) Et tandem plethora.

III. *Cauſae partus duri difficilis et laborioſi ſunt,*
1) Obliquus uteri vario modo ſitus minori tamen in gradu ſc. antrorſum, retrorſum et lateraliter. (*y*)
2) Conſtrictio orificii circa collum foetus. (*z*)
3) Capitis foetus magnitudo connata naturali major.
4) Vel magnitudo morboſa. (*a*)
5) Oſſificatio inter ſuturas. (*b*)
6) Situs capitis variis modis perverſus. (*c*)
7) Si nates vel pedes praeviae ſunt.

§. 69.

Haec omnia, ſi majori in gradu occurrunt, ccaſionem praebent partui impoſſibili. Hisce praeterea addere licet.

 1) Foe-

x) Notum enim eſt organa reſpiratoria quam maxime inſerviunt coadjuvando partui.
y) dirigitur tunc caput non directe ad axin pelvis.
z) Scapulae reſiſtentiam tunc faciunt.
a) uti in hydrocephalicis.
b) oſſa cranii tunc ab oſſibus pelvis non comprimuntur.
c) Diametra enim capitis et pelvis hoc in caſu viciſſim non correſpondunt.

1) Foetus biceps alioque modo monſtroſus. (*d*)
2) Graviditas extra uterum ex. gr. tubaria etc.
3) Membranae vel tumores vaginam praeternaturaliter occludentes. (*e*)
4) Haemorrhagia.
5) Convulſiones. (*f*)

Signa partus.

§. 70.

Signa partus annotanda veniunt, quae in appropinquantis et inſtantis partus deſtinguenda.

I. *Appropinquantia* autem ſunt,

1) *Mucus albus* fluens e genitalibus tumentibus.
2) *Dolores leniores* circa umbilicum, *praeſagientes* ab authoribus dicti, ſecundum longitudinem lumborum percurrentes et inferius ad pelvim terminantes, ad lotium ſtimulantes, qui primiparas quam maxime ob imperitiam fallunt, quibus tamen ſenſim cervix uteri magis

(*d*) Uti nuper mihi ad noſodochium puerperale videre contigit in foetu, qui duo habebat capita.

(*e*) *Richter* chirurgiſche Bibliotheck 5 Band 1 Stück p. 201.

(*f*) Si naturae conaminibus relinqueretur talis partus, ſub partu moritur foemina uti quotidiana docet experientia.

gis attenuatur orificiumque ejus magis diſtenditur quod et tunc temporis tenſius et tenuius invenitur.

3) Urinae fit etiam ſuppreſſio vel incontinentia, quae omnia a preſſione nervorum, glandularum ibidem locorum ſitarum, nec non ab incipiente fundi contractione, dilatationeque ſegmenti inferioris uteri facillime diducuntur.

II. *Inſtantis jam partus* dolores genuini a praeſagientibus ſic dictis prioribus eo diſtinguuntur,

1) *Quod ſint fortiores*, iisque uterus fortius contrahitur et foetus ad ſui excluſionem incitatur.

2) *Vehementius* igitur evadunt.

3) *Frequentius* incurrunt ſemperque aucti.

4) *Orificii uteri aperturam* ſenſim efficientes. (g)

 5) Mem-

(g) Obiter hic annotare licet, quod orificium apertum, ſignum caeteris non concurrentibus, minus fidum ſit, *van Deventer* (nov. lum. obſtetr.) ſubinde jam ſeptimo menſe, aperturam uteri ad nummi vel aurei magnitudinem deprehendit. Idem habet *Manningham* (Art. obſtetr. compend.) ſcil. "Apertura oris uteri mulieris gravidae non ſemper parturitionis eſt ſignum certum, nonnumquam enim orificium adeo patefactum in quibusdam invenitur, ut digitum inferri ſinat menſem ante partum." Cel. *Saxtorph* narravit exemplum ſe cognoviſſe foeminam in tertio geſtationis menſe conſtitutam, quae dolores ad partum patiebatur per integrum diem, ipſumque orificium jamjam aper-

5) Membranarum liquore amnio repletarum verſus orificium *conglobatio*, ad orificii dilatationem multum praeſtans, quod artis magiſtris dicitur *Aquae formatio.*

6) Ultimi demum adveniunt dolores *conquaſſantes*, quorum ope totum parturientis corpus vehementer concutitur, quibus praecedere ſolent.

7) Mucus ſanguineus tinctus *ſignatio* dicta a totali orificii deletione indeque orta vaſorum minimorum dilaceratione.

8) *Sudor* in fronte erumpens.

9) Rubor faciei.

10) Impatientia et jactatio membrorum.

11) Pulſuum celeritas.

12) Ejulatus, vocisque raucedo.

13) Artuum tremor. (*h*)

14) Vomitus aliquando, qui a *Mauriceau* non malus habetur et a *Manningham* nunquam non utilis, a violento tamen timet, ne laceretur uterus. (*i*)

Haec

apertum coagulo ſanguinis repletum abortum praeſagiebat; aſt datis remediis convenientibus ceſſabant dolores, orificiumque per integrum graviditatis tempus, quod feliciter ſuperabat gravida, ad terminum usque partus apertum permanſit.

(*h*) Hoc ultimum prae caeteris experiuntur primiparae ſecundum *Roedereris* ſententiam vid. elem. art. obſtetr. p. 84. §. 185.

(*i*) Nunquam talem vomitum mihi videre contigit in

Haec praecipue ſunt perfecti partus ſigna. De caeterum ſpecierum ſignis jam locutus ſum paſſim in eorum definitionibus et aetiologia.

§. 71.

Actio partus durationis modo differt ratione variorum partuum naturae, ſic in

I. Partu perfecto plerumque fit ſpatio 6 aut 8 horarum.

II. In protractis longiore mora procedunt omnia et lentiora gradu perficiuntur.

III. In acceleratis cum praecipitatione fiunt horae ſpatio, immo citius interdum.

Sequelae partuum naturales et morboſae.

§. 72.

In ſequelarum partuum pertractatione eundem conſervare ordinem, ut in caeteris capitibus, in animo eſt, hinc ab hiſce, quae poſt perfectum partum occurrunt, incipiendis. Sunt enim

1) praeter debilitatem, quae omnibus ſpeciebus familiarem;

in parturientibus, a partu autem ſaepiſſime vidi absque ullo inſequente damno; verum enim vero in illis, quae haemorrhagiam habent internam, periculoſum eſt ſymptoma debilitatem ingentem indicans, videturque inſtare in prioribus a viſcerum dislocatione nervos ventriculi irritante, vel a ſubita evacuatione uti in ultimis.

2) Lentis et aequalis uteri contractio haud dolorifica praecipue in primiparis. (*k*)

3) Dein lochiorum fluxus in initio mere *cruentus*, ſenſim ſenſimque aquoſior et laturae carnis haud diſſimilis factus tandemque omnino ceſſans, poſt tres vero a partu dies

4) Leves inſurgunt horipilationes cum cephalalgia, mammarum tenſione atque doloribus, qualia ſymptomata uno verbo *febris lactea* dicitur. Non diu poſtea iterum reſtaurantur vires et bene ſe habent puerperae.

§. 73.

Longo alio modo res ſe habent in partubus caeteris, nam ut plurimum ſequelae ſunt pernicioſae. Sic poſt partum acceleratum a nimis ſubita relaxatione atque evacuatione abdominis non ſolummodo

1) Debilitates vel virium exhauriatio ſed et

2) Lipothymiae lethiferae inſurgunt, talia etiam inducuntur ſymptomata ſed magis ſubito necantia ab uteri nimis accelerata evacuatione, quia

3) Hae-

(*k*) Secundum experientiam dexterrimae atque periſſimae primariae obſtetricis, noſodochii puerperalis Hafnienſis D. Orslowii etiam primiparae haud raro talibus afficiuntur doloribus poſt partum dictis.

3) Haemorrhagia per atoniam uteri, ejus contractionem impeditam, inducitur.

4) Vel etiam aliquando uteri producitur inverſio atque prolapſus.

5) Nec non perinaei laeſio, immo disruptio per capitis foetus acceleratum tranſitum per genitalia externa cauſatur, (*l*)

foetui tali praecipitatione excluſo à lapſu verſus pavimentum vel aliud durum corpus

1) Laeſiones cranii aliorumve membrorum, imo haud raro

2) Mortem ſupervenire poteſt.

§. 74.

A partu protracto periculoſa ſi non lethalia inſurgunt, tam matri quam foetui damna. Nam a diu durante preſſione partium tam ſenſibilium, uti ſunt uterus et vagina tempore partus, et ab hac iterum inducta irritatione.

1) Affluxus verſus has partes invitatur ſanguinis.

2) Vaſa tunc inflantur, diſtenduntur.

3) Siccitas, attritus, calor vel potius ardor tandemque

4) In-

(*l*) Interdum proh dolor! ab obſtetricantium negligentia per talem perinaei diſruptionem, vagina cum inteſtino recto unum modo conſtituunt canalem cum magno miſerum incommodo. Experientia quotidiana docuit hanc laeſionem eſſe incurabilem.

4) Inflammatio producitur, quae, ſi non ante tamen poſt partum lethalis eſſe poteſt, qualis ſors a diu protracta capitis compreſſione apoplexiam producente etiam foetui ſupervenit.

§. 75.

Quoad ſequelas laborioſi partus fere conveniunt cum iis, quae jam in praecedenti paragrapho allatae ſunt, niſi quod praeter inflammationem partium partui deſtinatam alia non minus periculoſa interdum inducantur incommoda, ex. grat.

1) Inflammatio veſicae urinariae,
2) Inde orta iſchuria dolorifica ejusque ſequelae, uti ſunt
   a) Diſtenſio juſto magis,
   b) Diſruptio,
   c) Vel veſicae paralyſis,
   d) Phraenitis. et ſ. p. (*m*)
3) Dein etiam in tali partu obſervatur, quod oſſa pelvis ab invicem ſeparentur (*n*) claudicationemque moleſtam cauſent.

Quod

(*m*) Cerebrum ut plurimum affici in iſchuria diu perſiſtente a reſorptae forſan acris urinae particulis, omnibus peritis notum eſt.

(*n*) Hodiernorum nonnullorum obſtetricantium eſt opinio hanc oſſium pelvis ſeparationem in omnibus partubus fieri, quia iis aliquando in puerperarum cadaveribus videre contigit horum oſſium cartilagines ab humorum affluxu uti credunt tume-

Quoad foetum, duplici modo rebus ſic ſe habentibus perire poteſt:

1) Vel protracta capitis inclavatione oſſiumque cranii intropreſſione ſc. ſi caput praevium eſt,

2) Vel per funiculi umbilicalis preſſionem ſi foetus pronus jacens pedibus vel clunibus ſeſe praeſentat in partu.

§. 76.

Quemadmodum in partu laborioſo periculum mortis tam foetus quam matris inſtat; ſic etiam non mirum eſt hoc adhuc magis metuendum *in partu ſive per ſe ſive per accidens impoſſibili: in priori enim caſu*, non ſolummodo iis mors inducitur.

1) Per cauſas jam in laborioſo partu recenſitas.

2) Sed etiam per rupturam uteri vel tubarum, quae aliquando in hisce accidit, mors inſequi poterit.

In ſecundo caſu

1) Vel

meſactas ligamentaque relaxata. Verum enim vero nihil haec monſtrant Phaenomena, nam claudicatio quae poſt talem ſeparationem ſequi debuiſſet, quaeque etiam in partu laborioſo ſequitur, in caeteris partuum ſpeciebus deſſicit. Ut taceam de fontibus adhucdum ignotis, unde talis humorum affluxus originem habere poſſit, nec etiam monſtrare poſſunt, annon illa ſubjecta in ſtatu eorum virgineo tumefactas tales cartilagines habuiſſent.

1) Vel per haemorrhagiam ſc. labefactantur perfundanturque vires atque actiones vitales.

2) Vel per convulſiones ſc. ſi ante orificii uteri aperturam jam ſuperveniunt, pereunt et mater et foetus, ſi non ſubito apta aplicantur adminicula atque remedia.

§. 77.

Etſi equidem adhuc de characteribus et ſignis partus gemellorum nihil locutus ſum, quia ſecundum meam experientiam non multum differunt a partu perfecto (o), tamen ſequelas eorum, quia ſaepiſſime occurrunt ſicco non poſſum pertranſire pede, quia ſaepe periculum mortis tam matri quam foetui vel utrumque ſimul producunt.

1) Fit enim aliquando, quod ſub partu prioris foetus ſolvatur placenta, hinc haemorrhagia perire poteſt relictus adhuc in utero alter, vaſa enim ſanguifera unius placentae communicationem ut plurimum per anaſtomoſin habent cum alterius, vi placentae, vaſis.

2) Si

(o) Adnotandum tamen venit, quod in partu gemellorum, aliquando ambo artis ope ob perverſum eorum ſitum, extrahendi ſunt, interdum vero unus eorum ſponte, alter vero lege artis excluditur, haud raro vero, capitibus amborum praeviis facile abſque ullo damno unus poſt alterum ſolius naturae moliminibus excutitur ex utero foetus. Vid. Diſſertat. m. inaug. antea citat. pars obſtetr. p. 84.

2) Si vero non ſolummodo placenta excluſi foetus, ſed etiam in utero relicti, juſto citius ſolvatur, certo certius eſt, ab eadem mori cauſa parturientem.

3) Praeterea etiam docet quotidiana experientia, quod ſic dicti dolores poſt partum in gemellorum partu, vehementiores ſunt quam poſt unius partum.

Caput V.

De ſignis foetus mortui.

§. 78.

Peractis uti mediocritas tulit ingenii, quae ad omnium fere partuum ſpecierum affectiones tam naturales quam morboſas pertinent, tradenda equidem hoc loco eſſent peragenda in hac vel illa ſpecie, atqui potius, uti mihi videtur, haec ab artis magiſtris horumque ſcriptis quam a me petenda. Experientia mea adhucdum nimis tenuis eſt, quod in omnibus partubus, encheireſes et medela audaciter aliis recommendare poſſem, compilare vero et ab aliis authoribus transſcribere et pro meis vendere, non noſtrum eſt.

Dulcius enim ex ipſo fonte bibuntur aquae. Neceſſarium tamen mihi videtur, quaedam monenda circa ſigna infantis mortui, ne nimis cito ad inſtrumenta ſcindentia accedamus, dum haec ſigna valde aequivo-

ca,

ca, dubia et ſaepiſſime fallacia admodum ſunt.

§. 79.

Aliquando moritur infans diu ante partum, aliquando non niſi ſub partu.

I. *Suſpicionem foetus mortui ante partum* dant,

1) *Gravior gravidae lapſus*, quem inter aliquot dies excipit partus praematurus.

2) *Pondus ingens in hoc vel illo latere*, dum gravida devolvitur in lecto huc vel illuc.

3) *Ventris ſubſidentia* et mammarum flacciditas.

4) *Aquarum profluvium diu ante partum.* Signum hoc vero non ubique certum; conſtat enim pluribus obſervationibus, foetus in lucem prodiiſſe vivos, quamvis aquae per plures dies ante partum effluxerint.

5) *Motus Embryonis deſſiciens.* Atqui et hoc ſignum fallax, varia enim dantur, quae motum foetus vivi quamvis minus perceptibilem reddunt, uti

a) debilitas infantis.

b) Minor liquoris interſtitialis copia (*p*), dum tunc uterus circa infantis corpus arctiſſime complectitur.

c) Funiculi brevitas naturalis umbilicalis.

d) Vel

(*p*) Notum enim eſt, quod liquor interſtitialis ad faciliorem foetus motum inſervit partim, partimque etiam impedit, quod foetus nec tam facile ab externis in matris ventre factis violentiis laeditur.

d) Vel ejus circa collum extremitatesque circumactio.

e) Infantis moles magna nimis.

f) Gemellorum praeſentia, et ſ. p.

g) Morbi etiam acuti matris multum ad minorem foetus motum perceptibilem afferunt.

Sic novi foeminam, quae circa ſeptimum graviditatis menſem febri corripiebatur acuta, quaeque ajebat, a primis morbi diebus foetum nulla vitae dediſſe indicia. Dolores, quos ſentiebat in infimo ventre, metum de abortu mihi incutiebant, memori effati divi *Hippocratis*, quod mulier utero gerens morbo acuto correpta neceſſe ſit, ut abortiat; nec antea morbum curari poſſe credebam. Cel. *Saxtorph*, quem in conſilium vocaveram, mecum ſentiebat; convaleſcit tamen poſt paucas hebdomadas citra abortum, nec diu poſt foetum enixa eſt vivum.

Imo foetum mortuum in nonnullis locis jam putrefactum vidi, et mater tamen affirmabat, ſe ſenſiſſe ejus motum ad ultimum tempus partus usque.

§. 80.

II. *Sub partu morientis foetus ſigna petuntur,*

1) *Ex frigore, pulſus abſentia in funiculo umbilicali* foras propendente, quod vero tutum non eſt ſignum, (q) nam dependet certitudo hujus ſigni partim a tem-

(q) Conf. cel. *Plenck* Element. art. obſtetr. p. 85.

temporis longitudine, quo pendebat, partim etiam a majore vel minore ejusdem compreſſione et ſenſibilitate explorantium digitorum. Bis enim de contrario convictus fui, ceſſabat vel ceſſare videbatur pulſus in duobus infantibus, quorum funiculus extra propendebat, quique in lucem editi mortui videbantur, tamen remediis excitantibus ad vitam evocati fuere. (r)

2) *Fontanellis et arteriae temporalis pulſus defectus* pro certo a nonnullis aſſumitur mortis ſigno, (s) ſed eadem, quae de funiculo diximus, etiam hic applicare poſſumus.

3) *Cutis e quadam parte corporis ſeparatio*, ex. gr. brachii et pedis pendentis inter infallibilia foetus mortis ſigna numeratur a *de Chauſepie*, (t) negatur vero ab aliis; (v) nam cutis cujuscumque partis a preſſione et conſtrictione orificii gangraenoſa et laeſa ſeparari poteſt, et digi-

(r) Videtur ergo ex hoc ſigno concludi poſſe tantum, infantem in ſummo verſari periculo, non certiſſimum mortuum eſſe.

(s) Teſte *Roederero*, talis pulſatio in fontanellis rariſſime, ſi unquam foetus, licet vivat, percipi poteſt, quod tamen cum certa limitatione accipiendum ſit, nam equidem ſaepiſſime ad amuſſim percipitur.

(t) Neuer Hebammen Wegweiſer p. 188.

(v) *Smellie* Lib. citat. p. 84. it. cel. *Plenck* l. c. p. 85.

gitis explorantibus haerere, foetu omnino vivente.

4) *Foetor et effluens mucus putridus e vagina* non semper pro tuto mortis signo assumitur a *Mauriceau*, (*x*) ait enim author, originem habere potest a putrefacto in uteroque diu retento sanguine, vel etiam uti, placet *Lewret* (*y*) a morbo uteri locali; vero enim vero foetor seu mephitis cadaverosa a cel. *Plenck* (*z*) pro *unico foetus mortis signo*, si alia quam caput pars praevia est, habetur. Cave tamen, ne meconium effluentem natibus praeviis pro signo putrefactionis, vel mortis foetus assumes. (*a*)

§. 81.

Pro certioribus vero signis assumuntur a nonnullis (*b*), ubi caput praevium est.

1) Capitis mollities, (*c*)

 2) Stri-

(*x*) vid. *Lewrets* Kunst der Geburtshülfe pars 2. p. 54.

(*y*) L. part. et pag. nuper cit.

(*z*) Libr. citat. p. 85.

(*a*) Meconium quidem effluens capite bene sito, debilem, non vero mortuum indicat foetum. *Roederer* elem. art. obst. p. 181. §. 383.

(*b*) Vide Wrisberg observ. de sign. viv. foetus et mort. Göttingae 1780. uti etiam Plenck l. c. p. 84.

(*c*) Caput foetus molle, non oedematosum vel tumefactum etiam a *Mauriceau* pro certissimo signo mortis conclamatur, hinc sequitur, tumorem capi-

2) Stridor ossium cranii inter sese collapsorum,
3) Pulsationis in fontanellis defectus,
4) Epidermidis secessus spontaneus,
5) Motus foetus nullus,
6) Mephitis cadaverosus,
7) Liquoris amnii saniosi vel putridi effluxus.

Hisce septem signis praesentibus assert saepe citatus *Plenck*, se nunquam foetum vidisse vivum, ac his, quandoque non omnibus praesentibus, foetum vidisse mortuum.

E contra a *Smellie* omnia signa inter incerta numerantur, excepta separatione integumentorum cranii sic, ut ossa nuda tangantur.

§. 82.

Ex hisce ergo sequitur, quod nunquam nimis festine ad instrumenta scindentia confugienda sit, quia nullum signum per se infallibile est, et certitudo vitae et mortis infantis solummodo a pluribus simul concurrentibus signis quam maxime dependere.

pitis vitae esse signum, quod vero contra meam et aliorum est experientiam, saepe enim vidi foetus mortuos expulsos cum capite tumido tensoque praevio, sed libenter concedo cum *Lewreto* (vid. Kunst der Geburtshülfe Part. 2. p. 55.) quod illud signum monstret foetum, vixisse adhuc capite in aperturam pelvis superiorem intrante.

Ca-

Caput VI.

De febri puerperali, in nosodochio Hafniae anno 1781. observata.

Praemonenda.

§. 83.

Febris puerperalis praesertim descripta a medicis Anglicis *Hulme* (*d*), *Leake* (*e*), *Whyt* (*f*), *Kirklander* (*g*), *Home* (*h*), *Iohnstone* (*i*), *Thompsons* (*k*), *Maning*, *Denmann*, *Buther* et aliis, morbus est epidemicus aeque Londini, Parisiis ac Hafniae meritoque inter notabiliores et miserabiliores numerandus, dum nec junioribus, nec vetulis parcit, aeque infestus partum naturalem ac praeternaturalem laboriosumve passis, quin subinde embryulci arte adjutae immunes prorsus manent, aequoque pulsat pede pauperum taber-

(*d*) Von der Kindbetterinnen Fieber. Leipz. 1722.

(*e*) Pracktische Anmerkungen über verschiedene Krankheiten der Kindbetterinnen und Schwangern.

(*f*) Von der Behandlung der Schwangern und Kindbetterinnen.

(*g*) Tractise of childbed femers and the methode of preventing them.

(*h*) Clinische Versuche p 75. et seqq.

(*i*) Saml. auserles. Abhandl. zum Gebrauch practischer Aerzte. 6 Band 1 Stück p. 103. et seqq.

(*k*) Ibid. 3 Band 1 Stück. p. 71. et seqq.

bernas regumque turres, praecipue obſervatur in noſodochiis; cujusque productum credit *Whyt*, cum eoque *Ackin* (*l*), cauſam febris puerperalis quaerit in aëre nimis clauſo aut impuro noſodochiorum, necnon *Peu* (*m*), exhalationibus putridis, quae a puerperis ſimul decumbentibus, continue inhalantur.

§. 84.

In noſodochiis equidem ob numerum majorem puerperarum ſimul decumbentium vehementius graſſari, communis eſt opinio omnium, qui de hac febre ſcripſerunt. Atqui non omnes circa morbi cauſas praecipue proximas, ſymptomata et medelam concordant, unde placet, primo morbi hiſtoriam enarrare, prout a variis authoribus ſupra allatis deſcripta habetur, dein epidemiam a me obſervatam in noſodochio praecipue anno 1781 graſſantem fideliter tradere, demum ex horum ſumma dabitur locus in indagandis cauſis ſive proximis ſive remotis hujus peculiaris febris.

§. 85.

Febris autem haec puerperalis, uti ab authoribus traditur, incipit nunc primo, quarto, quinto, undecimo die, nunc tardius a partu, uti caeterae febres omnes a cauſa interna ortae, horripilatione et frigore, quod vero in hac

(*l*) Thougſt om hoſpitals Lond. 1771.

(*m*) Pratique des accouchem. Lib. 2. cap. 1. p. 268.

hac febre vehementius, quam in aliis febribus continuis; tunc insequuntur cephalalgia, sitis intensa, dolores in infimo ventre vehementiores constantioresque, quam dolores, qui ordinarie a partu oriuntur, qui etiam subinde remittunt, dum in hac febri continui sunt et constantes; adsunt praeterea nausea, vomitus biliosi, ut in cholerae morbo et diarrhoeae tales, venter tumens, ad attactum valde dolens, lingua sordida, fusca, sapor amarus, nauseosus, somnus inquietus, non reficiens, pulsus celer, inaequalis, aliquando fortis et plenus, urina turbida, mendax, stranguriam, disuriam, enuresin quidam notant, quidam non, et ut symptoma in variis puerperis obvium familiare considerant, a quibusdam notatur lochiorum suppressio vel imminutio, a quibusdam non.

§. 86.

Quo citius morbus a partu invadit, eo periculosior, lethalior. Plurimae intereunt, pluresque in nosodochiis, quam in urbe, paucae convalescunt.

§. 87.

Dies mortis incertus, aliquando primo ab invasione nyctemero contingit, aliquando non nisi ante decimam septimam diem.

Signa mortis appropinquantis sunt:

1) Subita doloris ventris cessatio sine causa manifesta,
2) Sudor topicus,

3) Pulſus debilitas nimis vel intermittentia,

4) Diarrhoea foetida,

quae mentis conſtantia, tranquille et ſine convulſionibus plerumque ſequitur.

Sudor aequalis, calidus, univerſalis, criticus aliquando, diarrhoea nunquam, tamen diarrhoea diuturna aliquando ſalutem afferunt.

§. 88.

Cadaverum obductio

1) *Iohnſtone* uterum contractum, inflammatum et pure obductum monſtrabat.

2) *Hulme* et *Leake* omentum ileum inflammatum et pure corruptum.

3) *Alia* inteſtina aëre turgida atque diſtenta valde.

§. 89.

Cauſam morbi proximam quaerunt

1) *Hippocratis* (*n*) in lochiorum ſuppreſſione uterique inflammatione,

2) *Van Suiten* in lactis repulſione,

3) *Hulme* et *Leake* in inteſtinorum et omenti inflammatione, ſuppuratione et corruptione,

4) Alii in contagio, miasmate aëris peculiaris, nec non in animi moerore, quae dein fuſius illuſtranda, de indole quidam mere inflammatorium, plurimi inflammatorio putridum ſtatuunt.

§. 90.

(*n*) De morb. vulgar.

§. 90.

Medelam igitur quod attinet

1) Quidam totam ſpem ponunt in repetitis ſanguinis miſſionibus, ſc. quamdiu pulſus plenus et durus, cruor cruſta apparet inflammatoria tectus, et in methodo antiphlogiſtica.

2) Alii omnino rejiciunt venae ſectiones et emetica, laxantia, oleum Ricini prae caeteris, clysmata mollia commendant.

3) Opiata alii, quae vero ab *Home* improbantur, utpote ſumma noxia, ſive febris ſit ex inflammatorio ſive ex putrido genere.

4) Cortex peruvianus aliaque antiſeptica commendantur ad putridum miasma corrigendum.

5) Topice laudatur oleum volatile pro inungendo abdomine, nec non veſicans latum abdomini impoſitum.

§. 91.

Febris haec in noſodochio puerperis dicata ante aliquot annos graſſabatur, ſenſim ſenſimque deleta, denuo caput erexit, contra ſpem menſe Iunio 1781.

A. *Symptomata* autem in hac febri occurrentia varia erant, nec uno procedebant tenore in omnibus.

1) Quaedam enim morbo ingruente horrorem et frigus ſentiebant, etc. ab aliis jam notatum,

2) Quaedam ſtatim nauſeas,

3) Quaedam mox dolores in infimo ventre.

4) Saepe aderant ſigna tanta ſaburrae primarum viarum; ſc. ſapor nauſeoſus, cephalalgia, lingua ſordida, oppreſſiones circa praecordia, ut cum *Butter* ſtatueres facile cauſam morbi revera conſiſtere in collectione ſaburrali ventriculi,

5) Saepe concomittabantur etiam dolores vehementes in toto abdomine, pulſu pleno et duro.

6) Saepe iterum dolores tantum in alterutro percipiebantur latere, cum pulſu tremulo parvo.

7) Ut plurimum tamen complicabantur ſimul ſymptomata ſaburrae putridae cum inflammationis indiciis, uti ab omnibus fere authoribus traditum.

§. 92.

Quoad invaſionis tempus diverſum quoque erat in diverſis; dum hae nempe aegrotabant altera a partu die, aliae tertio, quaedam quarto, quaedam demum octavo vel nono die.

Signa morbi praeſagia.

1) Facies ruberrima, oculi triſtes hebetesque, ſignum mihi fuit pathognomonicon in gravidis, ſi foetum enixus certo certius febri puerperali laboratum iri.

2) In

2) In partum enixis ſudor mox prorumpens peculiarem et ſui generis proprium ſpargens odorem, easdem etiam haud immunes a morbo manſuras indicium mihi dabant certum, in epidemia Hafnienſi. Subinde talis vero ſudor non ante quintum aut ſextum morbi oriebatur diem, qui minime criticus erat, dum aeque ac diarrhoea de curſu morbi orta certam praeſagiebat mortem.

3) Foeminae indole irritabiles aut ſenſibiles, triſtes ac inter ſpem metumque viventes, uti habet *Leake*, citius atque vehementius afficiebantur, fereque certo peribant praecedente praeſertim diarrhoea putrida.

4) Rariſſime alacres ſuaque ſorte contentae hac corripi febri obſervatum eſt, niſi ſubinde leviori modo facileque ſuperabili, modo principiis obſtaremus, nec ſera medicina paratur. (*n*)

Mortis prodromi.

§. 93.

Mortis prodromi per diem unum aut alterum erant:

1) Dolorum abdominalium ceſſatio,

2) Rubedo uni ac pallor alteri generum inſidens cadaveroſus,

3) Ocu-

(*n*) Patet et hinc vis animi pathematum in hunc morbum producendum.

3) Oculi triftes ac caliginofi,
4) Pulfus parvus, tremulus, intermittens,
5) Abdomen maxime tumens, nunc molle, nunc durum,
6) Clyfterum applicatorum inefficacia,
7) Vomitus continui,
8) Singultus,
9) Raro delirium,
10) Sed faepius tendinum fubfultus et carphologia,
11) Linguae tremor,
12) Anxietas,
13) Inquietudines et membrorum jactationes.

Effectus remediorum exhibitorum.

§. 94.

Quoad curam, ubi figna aderant faburrae primarum viarum, pari paffu cum fignis inflammatoriis, emetica data nocebant, nec quidquam boni tamen praeftabant emeticorum omiffio;

1) *E laxantibus lenioribus* tarde admodum folvebatur alvus, nihilominus demum inde excitabatur diarrhoea foetida, funefta,
2) *Enemata* leve afferebant levamen pro tempore faltem, faepius tamen repetita inutilia erant et meteorifmum inducebant, quod fignum erat lethale, in quibus fponte citra clyfteres fiebat,
3) Opium five intus fumptum, five extus per clismata adhibitum, nihil juva-

vabat vel ad inhibendam diarrhoeam, vel vomitum compefcendum, quiqúe etiam refiftebat pulveri ex magnefia cum fuccu citri fub actu effervefcentiae adhibito.

4) In *fingultu* mofchus ad 5 vel 6 grana pro dofi nihil efficiebat, quamvis laetus recordor me fanaffe aegrotam in urbe tali febre vehementiffimo fingultu laborantem illius medicaminis ope.

5) *Vefìcantia* excitabant bullas magnas fero foetido plenas, fed praeterea nihil ad fanitatem conferebant.

6) *Pulfus duriffimus* poft bis reiteratas phlebotomias ad uncias decem, cum debili ac parvo comitabatur in quibusdam, praefertim in hisce, quae morbum ad tertium celabant diem, et ftatim confugiendum erat ad corticis ufum, ne animam cito efflarent; dum e contra, quae morbum ftatim aperiebant, abfentibus fc. fignis primarum viarum fordium una indegebant tantum venae fectione, et mixturae camphoratae acidae uncia una fingulis horis per 24 horas continuando. (*o*)

In

(*o*) Ab initio enim femper venae fectio ad fummum ter inftituendum et camphorata interne efficaciora evadebant remedia, fc. quamdiu ftatus adhuc mere erat inflammatorius: fera vero parabatur medicina, omni licet diligentia adhibita, dum malum invaluerat per tres aut quatuor dies.

In quibusdam sanguinis missionibus ad sextam usque vicem quamvis institutis, pulsus manebat durus ubique ad ultimum usque halitum, cruor crusta tegebatur inflammatoria, in aliis cum maximo dolore et pulsu plenissimo, sanguis sanissimus et omni nota bonus oculis apparebat.

7) *Sanguis grumosus* mortem fores pulsare certo certius indicabat.

Mortis dies.

§. 95.

Mortis dies incertus erat, contingebat enim 2do, quarto, 14to, 17mo immo 21mo, quin et primo ipso die morbi, quod etiam ab aliis annotatum. (*p*)

Ca-

(*p*) Haec annotata circa febrem puerperalem in nosodochio Hafniae observata, quibus haud immerito putavi locum concedendum in hacce tractatione, haud omnino conveniunt cum hisce, quae de hac febri tradidere scriptores celeberrimi. Cum autem tempore, quo mihi concessum fuit commorari in nosodochio puerperarum, quove haec febris a me hic descripta ibidem grassabatur, (quamque tamen non aliter ac febrem puerperalem vocare possum) licet magna adhibita attentione alia ac a me modo describenda signa animadvertere haud licuit, operae pretium duxi non deflectere a veritate et visa et reperta tantum referre. Facile equidem foret dictis addere pondus, si excerpere vellem varios casus ex protocollo

Cadaverum obductio.

§. 96.

Anatomia defunctarum ut plurimum detegebat.

1) *Mesenterium* variis in locis inflammatum, hinc inde gangraena corruptum, simul cum magna puris male olentis quantitate in imo ventre. (*q*)

2) In

collo nosodochii, omnino sibi similes et traditis prorsus analogos; sed dum mihi videbatur inde non magnam lectoribus instare utilitatem, casum vero hinc singularem et memorabilem enarrare haud pigebit. Foemina partu instante intrat nosocomium, partus rite ac naturaliter procedit, lochia debito fluunt modo, ac octavo post partum die tam bene se habet, ut pararet se ad exitum circa vesperam. Nescio tamen, qua de causa cogitur morari ad crastinum atqui nocte eadem, horam circiter nonam, conqueritur de ventris doloribus, sitique intensa, pulsus erat valde durus, sed absentibus saburrae signis, alvo eodemque die soluta sponte; venam ei seco et camphorata exhibeo, matutinis horis symptomata eadem, ideo denuo vena aperitur, insequente paulo post parum levaminis. Post meridiem pulsus fit parvus, tremulus, intermittens cum levi insurgente singultu, cortex et moschus magna dantur in dosi, sed ante sextam vespertinam moritur abdomine valde turgido.

(*q*) Ergo ne haec febris illa mesenterica maligna a *Baglivio* (opera omnia medica p. 51.) cujus causam deducit a viscerum phlegmone aut eresipelatode; praesertim dum *Home* etiam causam hujus fe-

2) In quibusdam inteſtina *aëre* ſolummodo inflata reperiebantur.

3) Paucae habebant *uterum inflammatum* idemque *Leake* aſſerit, non quaerendam eſſe cauſam in metritide, nam uterus nunquam inflammatione apparet corruptus, niſi forſan in minimo gradu et non a cauſa primaria; igitur ſeu idiopathice, ſed ſecundaria et ſympathice. Excipias quaeſo mulierem, cujus hiſtoriam paulo ante retuli, quae vera laborabat metritide aut uteri inflammatione.

Corollaria.

§. 97.

Ex hisce omnibus rite penſitatis conſtat, haud facile eſſe determinare, ad quamnam claſſem referenda ſit haec febris, ſc. num ad putridam, num ad inflammatoriam, num demum ad compoſitam et complicatam ex hisce binis. Eſt ne contagioſa, quaerendave ejus origo in aëre, diaeta ſeu vivendi ratione. Sane multa licet proferre in medium utrinque ſive negando ſive affirmando, uti patebit ex dicendis.

1) *Pro inflammatione viſcerum abdominalium*, inteſtinorum, omenti, uteri militant:

a) *Sym-*

febris quaerit in ereſipelate, cum in utroque morbo valeant laxantia et Ven. Section. *Leake* vidit omentum ut plurimum corruptum.

a) *Symptomata quaedam*, dolores nempe, febris valida pulſusque durus.

b) *Methodus antiphlogiſtica ſaepe juvans*, a juvantibus et laedentibus enim ſumenda eſt indicatio.

c) Inflammatio viſa repertaque a quibusdam in cadaveribus.

Refutat vero *Home* hypotheſin de inflammatione et praeſertim uteri, cum

1) In metritide dolores adſint in regione uteri, non vero extenſi in tota abdominis regione, uti in hac febre puerperali.

2) In metritide potius alvi conſtipatio, quam diarrhoea.

3) Metritis minus periculoſa et methodo antiphlogiſtica optime cedit, febris puerperalis non ita: adde quod utplurimum nulla ſigna gangraenae in utero defunctarum conſpiciantur.

4) Ad enteritidem quod attinet idem opponitur, nec non pulſus conditio, quae in febri puerperali ſaepiſſime fortis et durus, in inteſtinorum inflammatione plerumque debilis viſa et reperta; aliquando in cadaveribus ad effectus potius, quam ad cauſam morbi referenda.

§. 98.

II. *Alii putridam indolem morbi ſtatuunt*, et a copia bilis deducunt, uti *Denmann*, dum

ejus ſecretio graviditatis tempore intercipitur valde, indeque inſurgunt nauſea, vomitus, oris amaror, aliaque ſigna putredinis, quae remedia antiſeptica deſiderant. Atqui haec ſola non juvare potuit, ſatis ex obſervatione omnium, qui de hac febri egerunt, conſtat. Copia bilis ſymptoma, non cauſa morbi eſſe poteſt, ſc. a ſpasmodicis conſtrictionibus et doloribus ventris facile procreanda.

§. 99.

III. *Lochiorum ſuppreſſionem* cum *Hippocrate* pro cauſa febris puerperalis agnoſcere vetat conſideratio.

1) Quod nulla detur acrimonia in lochiis, ut inde tantum inſurgat malum.
2) Quod lochia ſaepe ſupprimantur absque inſequenti tali febre.
3) Quod lochia ſaepe fluant in febri puerperali laborantibus.
4) Quod diu jam a lochiis naturaliter ſuppreſſis oriatur ſaepe haec febris.

§. 100.

IV. Aſſerentibus cum *van Switen* cauſam morbi reſidere *in lactis reſorptione* ſeu metaſtaſi, opponendum.

1) Febrim lacteam oriri tertio die, puerperalem non raro undecimo.
2) Lactantes ea quoque affici,
3) Pauco lacte gaudentes non ſemper ea corripi.

4. Mag

4) Magnam habentes copiam lactis saepe febrim hanc pati.

V. *In diaeta aut victus ratione* minime quaerenda causa morbi, dum pro varia hominum conditione, quos invadebat, varia admodum erat vivendi ratio ac norma.

§. 101.

VI. Qui contagium negant, plures quidem affici inde debere quam quidem affectae, si contagiosa esset, credunt, plures enim in nosodochiis simul jacent, subindeque in nosodochio Hafniensi duae jacebant utrimque ad latus vehementer aegrotantes citra ullam infectionem.

Nec magis tutum tamen videtur prorsus negare miasma contagiosum in hoc morbo, dum multae praecipue in urbe aeque inter pauperes, pauciores licet ac inter divites, febri hac periere.

In aëre ergo haud immerito latere miasma morbo producendo apto cum *Leake* aliisque libenter concedo.

§. 102.

Dantur et quaedam causae disponentes huic febri gignendae, aptae, uti quibusdam visae. Sic *Hulme* pro causa praedisponente venditat uteri pressionem supra partes, dein secundum suam hypothesin inflammandas; atqui resultat *Whyt* dicens, potius ante quam

 post

post partum fieri debere morbum, et a partu cessare statim, dum talis pressio cessat. Praeterea in primiparis potius daretur occasio ad morbum, quam in hisce, quae pluries peperere, dum iisdem facilius musculi abdominales cedunt, quod tamen experientia non testatur, dum hac facilius quam illa febri puerperali corripiuntur: adde, quod inde non consequatur ratio, cur morbus potius in nosodochiis, quam in urbe observetur, nec certius efficiantur febri puerperali, quae partu laborioso pariunt, quod juxta *Hulmii* hypothesin necesse esset.

§. 103.

Num forsan *consensui et sympathiae* tribuenda mali propagatio? haud equidem ita absonum videtur, etenim in nosocomio saepissime una querente de dolore lateris dextri, statim altera audiebatur eandem proferens querelam. Haec nauseas et oppressiones circa praecordia incusans, altera de iisdem querebatur quoque.

De tali sympathia plura scripsere magnus *Boerhave* (*r*) ejusque dignissimus nepos *Kaav Boerhave* (*s*) aliique.

Notum atque tritum est proverbium: oscitante uno oscitat et alter, sic per mirum homi-

(*r*) De morbis nervorum.

(*s*) Hippocrat. impet. faciens.

hominum consensum ridemus cum ridentibus, flemus cum flentibus; nec oggerere licet, quod in urbe nullus tali consensui locus, ubi non simul in uno plures jacent cubiculo puerperae, nam ex audita amicarum et garrularum relatione idem contingere poterit; quin ex diariis publicis, ubi necrologia puerperarum notatur, idem fieri, non est quod dubitemus. Terrore excitato in gravidis jam jam parituris, uti in ipsis puerperis: ex timore enim languet humorum motus, vasa elasticitatem emittunt, transpiratio impeditur. A suppressa transpiratione innumerabiles oriri morbos post *Sanctorium* in Italia, *Dodart* in Gallia, *Keil* in Anglia, *De Gorter* in Hollandia, omnes annotarunt clinici. A timore corpora aptiora reddi ad contagium suscipiendum in morbis epidemicis affert *Tissot* (t) ex *Willisio*, experientia idem comprobatur in peste, in variolis. Moerorem sufficere generandae huic febri statuit *Leake*, *Hume* et alii.

§. 104.

Rogabit quis forsan, undenam consensui locus in prioribus morbo correptis? Ad hoc respondeo: primam morbi labem latere posse in quam plurimis rebus aërisque miasmate

(t) Von Nerven Krankheiten 2 Theil.

te praeſertim, animi moerore, diaeta prava, oeconomiae animalis ejusve mechaniſmi omnimoda mutatione in gravidis et puerperis, quae facile corpus diſponunt ad quemvis morbum ſuſcipiendum. Morbi vero propagatio non proprie in qualitate aëris noxia, ſed in conſenſu ſympathiea quaerenda.

Tantum.



12



TIGHT BINDIN

NARROW GUT

